Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

1,-515
DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°
1 1 01 0 4 02094 4
+REX
BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

PETRI MUSÆI
S. Theol. Doct. & Profeſſoris
Primarii, ac ProCancellarii,

Diſputationes Theologicæ,

quas
Perpetuo Reſpondentis officio functus, publicè defendit, ſuiſque ſumptibus edidit
M. BARTHOLOMÆUS Naſſer/
in Academia
CHRISTIAN-ALBERTINA
Holſatorum.

KILONI,
Excudebat Joachimus Reumann, Acad. Typogr.
ANNO 1667.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

REVERENDISSIMO AC SERENISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO
CHRISTIANO
ALBERTO,
EPISCOPATUS LUBECENSIS
POSTULATO COADJUTORI,
HÆREDI NORVEGIÆ,
DUCI SLESVICI, HOLSATIÆ, STORMARIÆ, ET DITHMARSIÆ,
COMITI IN OLDENBURG ET DELMENHORST &c.

PRINCIPI AC DOMINO
MEO CLEMENTISSIMO.

B.R.H.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

REVERENDISSIME AC SERENISSIME PRINCEPS, DOMINE CLEMENTISSIME.

AButitur & hic liber, Serenisſime Princeps, quam in Holſatia Tua ſanctioribus nuncupaſti ſtudiis, libertate; ac tam ſe animosè in Aulæ Tuæ infert ſacraria, ut ad tantæ audaciæ genium ab initio ego non perfunctoriè trepidaverim. Volui illi diſuadere eundi, quò non niſi ſummis & maximis patet aditus, temeritatem; &, cum tamen iret, juſſi inter verecundantia ad limen Tuum obſequia miſceri, & advolvi ſupplicem ad genua prodeuntis; ſed ut videret jam exiiſſe de manu meâ, non agnoſcebat imperium, & nihil perſuaſi jam incitato, jam ruenti, jam ſibi blandienti ſuo vitio. Jam non intromitti modò ad TE Principem ſuum, ſed & clementisſimis manibus oſculum ferre ſatis inſolenter præſumebat. Ac ne videretur ſine ratione inſanire, primùm quidem ille ſancti-

tatem ſui argumenti, quod de DEO rebusque Divi[illegible] diſſerit, fundamentum fiduciæ ſuæ ponebat, fierique non poſſe rebatur, ut tàm ſanctus Numinique ſimillimus Princeps non libenter ad originem ſuam, ac cognata ſibi ſidera reſpiciat: Principes in terris pro Deo eſſe, neque igitur ingratas adeò paginas fore, quæ agant cauſam DEI, quas devotio, quas pietas commendet: nihil hic præter veræ religionis capita tradi, in quæ, nobis ad felicitatem, orbi terrarum ad exemplum, univerſa cum Principe ſuo Holſatia conſentiat. Adhæc in ſpem erigebatur, tum præfixum auctoris ſui nomen, quem ob ſelectam eruditionem prudentisſimumque candorem, à cœli benignitate, Tua, Sereniſſime Princeps, Indulgentia Theologiæ Profeſſorem primarium, & Tuum in Tua Academia ProCancellarium eſſe voluit; tum conſtantem illam & inuſitatam Serenitatis Tuæ in B. Parentem meum gratiam, cujus memoriam & ille ad cineres usque & urnam devotè ſervavit, & ego hæreditario jure humillimè veneror, non parva fore ad admisſionem argumenta. Denique quam ab ſe non habet gratiam, à comitate Tuâ, Domine, poſitâque ſupra exemplum

cle-

clementiæ ſibi pollicebatur. Non ſatis expugnaverant metum meum priores rationes; ceſſi tamen huic poſtremæ; Ceſſi, Sereniſſime Princeps, nec ſolùm libellum huncce, quem ſolo uſu meum vendico, ire permiſi, quò viam affectabat, ſed & debili ex ſe cauſæ proxeneta & commendator accedere volui. Venit itaque ad Te, Domine, mole exiguum, at argumento ſuo haudquaquam contemnendum munus, Diſputationum aliquot Theologicarum ſyſtema, quas ne exacti poſt alias Academias etiam in Tua hâc, Clementiſſime Princeps, temporis haud exigui olim me pœnitere poſſet, autore & præſide jam laudato D. Petro Muſæo publicè defenſare, Tibi autem dedicare ſum auſus, quod ſervorum clientumque interſit, ut à ſuis Dominis noſcantur. Agunt illæ de DEO; non in Holſatia quicquam Te Divinius: De religione; & nihil Te religioſius: de pietate; at Tua in DEUM pietas vel ſub exemplo piam facit univerſam Patriam. Quod ſi ſperatâ Clementiæ Tuæ aurâ hoc munuſculum fueris dignatus; & certè dignaberis; ſurgent in ſpes majores imbecillia ab ſe ſtudia mea, ac nihil tàm invium invenient, quô non ſub Auguſti Tui nominis au-

 ſpiciis

ſpiciis ire posſint. Ipſa etiam Serenitatis Tuæ cliens alumna, Academia noſtra, hoc in me bonitatis argumentum ad ſe pertinere exiſtimabit, ac contra aliorum injurias, odia & invidiam caput tollet liberius, ubi membris ſuis à Tanto Principe bene eſſe non ſine ſingulari gaudio animadverterit. Interea Te, Serenisſime Princeps, longævæ felicitati, & Tuis virtutibus commendo. Dab. Kiloni d. XI. Iunij Anno cIↄIↄc LXVII.

Reverendiſſimæ Tuæ Serenitatis

humillimus Servus

M. BARTHOLOMÆUS Naſſer.

Benevolo Lectori

S.

PRomiſit L. B. in primo, quem Cimbrica Academia edidit lectionum Catalogo, Magnificus Dominus ProCancellarius noſter, meus Præſes ætatem devenerandus D. Petrus Muſæus, Diſputationes Theologicas, me perpetuo reſpondente, publicè ventilandas, quarum celeritatem partim ipſius publica, partim quoque mea negotia ſubinde ſufflaminârunt. Nunc verò, cum eas avidè, nî fama nobis blandiatur, exſpectent ſolidæ eruditionis cultores; nos verò invidi haud ſimus; partem earum, de articulis quidem & capitibus infrà commemoratis, præire juſſimus, nuncque primùm in lucem damus, experturi, quorum quæ judicia, quam cenſuram, quam denique fortunam illæ ſint ſubituræ: quod unum & ſolum efficere poterit, ut reliquæ, quas etiam maximâ ſui parte meditatas jam Muſæi muſeum continet, ſeu edantur ſeu ſupprimantur. Vale, noſtriſque ſtudiis fave.

Diſpu-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

Diſputationum Tituli.

1. *De Natura & conſtitutione Theologiæ* Cap. I.
2. *De natura & conſtitutione Scripturæ Sacræ Canonicæ.* cap. II. ſect. I.
3. *De libris Canonicis, Eccleſiaſticis & Apocryphis* cap. II. ſect. II.
4. *De affectionibus Scripturæ S.* cap. II. ſect. III.
5. *De Interpretatione Scripturæ Sacræ* cap. II. ſect. IV.
6. *De conſequentiis Theologicis* cap. II. ſect. V.
7. *De Deo Trinuno* cap. III.
8. *De creatione hujus univerſi & providentia Dei* cap. IV.
9. *De Angelis* cap. V.
10. *De Creatione hominis ad imaginem Dei* cap. VI.
11. *De Peccato.* cap. VII.
12. *De Perſona Chriſti* cap. VIII. ſect. I.
13. *De officio Chriſti* cap. VIII. ſect. II.
14. *De Prædeſtinatione & reprobatione* cap. IX.
15. *De regeneratione & converſione* cap. X.
16. *De juſtificatione & Renovatione.* cap. XI.

Correctoris incuriâ partim, partim Typographi tumultuariâ operâ σφάλματα in breviculas quamlibet diſputationes haud pauca irrepſêrunt; neque jam, ut ea excerperemus notaremusque, temporis paſſa eſt ratio. Quo nomine, rogamus, ignoſcat nobis Benevolus Lector, & ſicubi menda ſeu in allegatorum numeris, ſeu in vocum elementis deprehenderit, pro ſuo in nos candore ipſe corrigat, nos verò excuſatos habeat.

CA-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

CAPUT I.

DE
NATURA ET CONSTITUTIONE THEOLOGIÆ.

I.

NAtiva ſignificatione θεολόγος dicitur, qui de Deo rebusve divinis promtè & expeditè diſſerit. Quâ ratione & *Theologia* eſt habitualis de Deo rebusve divinis diſſerendi peritia.

2. In ſcripturis vox hæc nuſquam reperitur, ſed ab Ethnicis ad Chriſtianos translata eſt. Vide utentem eâ voce Platonem *l. II. de Republ.* Ariſtotelem *l. III. Met. cap. IV.* Ciceronem *l. III. de Nat. Deor.*

3. Apud Ethnicos Theologi dicebantur ordinarii *Sacerdotes, Poetæ,* & *Philoſophi*, ſed ratione adeò diverſâ & contrariâ, ut nihil illis præter nomen eſſet commune. Unde tria etiam Theologiæ genera ex Scævolâ & Varrone narrat Auguſtinus, *civile, fabuloſum, naturale. l. IV. de civ. Dei cap.* XXVII. *& lib. VI. Cap. V.*

4. Aliàs Theologia pro diverſâ aſſentiendi ratione in *naturalem* & *revelatam* diſpeſcitur. Illa ex principiis naturâ notis de Deo agit, de qua Paulus *Rom. I, 19. Act.* XVII, 26, 27.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

Hæc peculiari & ſupernaturali Dei revelatione nititur, de qua vide *Dan. II, 22. Matth. XI, 25. & 27.* 1. *Cor. II, 9. &* 10. *Gal. I,* 12.

5. Inſufficientem ad ſalutem eſſe Theologiam naturalem, vel inde liquet, quod ex principiis naturâ notis neque futurus poſt mortem animarum ſtatus, neq; modus Numen peccatis noſtris iratum placandi, neque ad veram felicitatem pertingendi via cognoſci poſſet. Unde in religionis negotio principiis naturâ notis non contenti Gentiles, revelationes, quamlibet ab oraculis ſuis & falsò creditis vatibus, ut ab Apolline & Sibyllis requiſiverunt, de quibus Lactant. *l. I. div. inſt. cap.* VII. *lib. IV. cap. VI. libr. de irâ Dei cap.* XXII, XXIII.

6. Nobis hîc, naturali Theologia ad Philoſophiam rejectâ, de revelata agendum eſt. Et quanquam olim ea præcipuè doctrina, quæ de Deo & tribus perſonis divinis agit, Theologia dicebatur, ut videre eſt apud Baſilium M. *l. II. contra Eunom.* & Gregorium Nazianz. *Orat.* II. *in Paſcha*: hodiè tamen eo nomine venit tota diſciplina, quæ ex revelatione procedit, & viam pertingendi ad ſalutem docet.

7. Non autem Theologia illa revelata eſt ſcientia, prout vox hæc *l. VI. Eth. cap.* III. & *libr.* 1. *poſt. Anal. cap.* 2. accipitur. Quandoquidem ſcientia eſt clara & evidens: ſed revelatio & huic innixa Theologia eſt inevidens, qua Deum quaſi *per ſpeculum in ænigmate cognoſcimus* 1. *Cor. XII,* 12. & ipſa fides eſt ἔλεγχος οὐ βλεπομένων *Hebr. XI,* 11.

8. Neque eſt habitus theoreticus, ſed Practicus. Verſatur enim circa legem & evangelium, cujus utriusque finis præter cognitionem eſt praxis ſive operatio, uti de lege quidem conſtat Rom. II, 13. *Jacob.* 1. 22. *Luc. XII,* 47. 48. *Matth.* XIX, 17. *Gal.* III, 12. De evangelio autem *Joh.* XX, 31. I. *Joh.* III, 23. *Joh.* XIII, 17. *Joh.* XV, 14. *Matth.* VII, 21, 22. *Matth.* XXVIII, 19, 20.

9. Etſi

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

9, Etſi autem formaliter habitus mentis eſt; ut tamen ad praxin, propter quam eſt, traducatur, connotat & requirit ſimul piam voluntatis affectionem.

10 Finis ejus proprius & internus tàm *fides* eſt, quàm *obſervatio mandatorum Dei*; Sed ille ut finis principalis; hic ut concomitans ac ſecundarius. *Ioh.* XX, 31. I. *Ioh.* III. 23. *Matth.* XXVIII. 20.

11. Finis ultimus & externus, qui non in hac, ſed in altera demum vita obtinebitur, ubi noſtræ Theologiæ non amplius erit locus, eſt *æterna beatitudo* 1. *Pet.* 1, 9. *Rom.* VI. 20. 1. *Joh.* II, 25. 1. *Tim.* VI, 19.

12. Subjectum, in quod fines modó dicti introducuntur, eſt homo peccato corruptus, ſicut in arte medica ægrotus. Alii *ſubjectum operationis*; Metaphyſici *finem* CUI appellant.

13. Media, quibus homo ad æternam felicitatem adducitur, ſunt *verbum*, *ſacramenta*, & *fides*: Sed proxímum eſt hoc, & in ipſo homine requiritur: illa remota ſunt, & extra nos poſita, ut iis utamur.

14. Objectum materiale, ut in aliis habitibus practicis, ita & hic cum fine proprio & interno coincidit, puta quod ſit *fides* & *obſervatio mandatorum Dei*.

15. Neque diverſi à nobis eunt, qui objectum Theologiæ *credenda* & *facienda* i. e. quæ creditu, quæ factu ad ſalutem neceſſaria ſunt, conſtituunt. Dum enim Theologia circa fidem, etiam circa credenda; & dum circa obſervationem mandatorum Dei, circa facienda verſatur. His Sacramenta pariter ac præcepta decalogi, illis omnia divinitus revelata dogmata comprehenduntur, ſine quibus cognitis ac creditis fides ſalvifica ſibi non conſtat; quæ inde *dogmata*, *articuli*, *myſteria fidei* nuncupantur.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

16. Objectum formale (aliis *ratio ſub qua*, Scholaſticis *formalis ratio objectiva* dicitur) etſi in habitibus practicis ratione duce inventis eſt ultimus finis, utpote ex quo cognito & magis noto, media quæ minus nota ſunt, cognoſcuntur: hîc tamen ubi finis & media ex lumine naturæ æque ignota ſupponuntur, non poteſt aliud quid eſſe, quàm peculiaris & ſupernaturalis Dei revelatio, quæ ſacris Scripturis canonicis comprehenſa eſt.

17. Quanquam ea etiam, quæ de Deo & cultu ejus ductu luminis naturæ novimus; ſi ſacris literis comprobata ſint; in tantum ad Theologiam pertinent, in quantum æquè, ac revelata myſteria, Dei in ſcriptura loquentis auctoritatem habent; veluti providentia Dei, ac pleraque præcepta decalogi.

18. Sicut autem in omnibus habitibus practicis aliud eſt *docere*, aliud *doctrinâ uti*: neque enim dum aliquis docet, vel ipſe ſimul utitur doctrinâ, vel alium uti facit, Sicut de Ethica decernit Ariſtoteles libr. II. M. M. cap. X. Ita & hîc eadem duo diſtinguenda ſunt.

29. *Docere* eſt credenda & facienda, ſive dogmata fidei, ſacramenta & præcepta morum *explicare*, *confirmare* ac *defendere*. Omnes hos tres actus complecti videtur Paulus, cum in Doctore Eccleſiæ requirit, ut ſit διδακτικὸς II. Tim. II, 24. ſpeciatim autem, *defendere* eſt τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν, de quo actu. vide I. Tit. 1, 9.

20. *Doctrina uti*, eſt ex præſcripto ejus credere, & mandata Dei obſervare, ad quem uſum nos adhortatur Jacobus cap. 1, 22. *Eſtote factores verbi, & non auditores tantum.*

21. Etſi ad docendum ſimpliciter neceſſaria eſt Theologia, non tamen pari neceſſitate ad uſum requiritur, cum ad hunc nuda credendorum & agendorum notitia, quâ quisque Chriſtianorum pollet, poſſit ſufficere. Interim ad uſum exigi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

exigitur gratia divina, & voluntas in virtute gratiæ piè affecta, uti patet ex theſ. 9.

22. Quanquam verò una eſt Theologia, per quam utrumque obiri poteſt munus: quia tamen alterum ab altero ſæpe divulſum eſt, ut qui docet, doctrinâ non utatur: hinc diſcriminis causâ *utens* ab uno, ab altero actu Theologia *docens* non abs re nuncupabitur.

23. Hinc porrò fluit, ut Theologiæ, prout vel *in uſu* vel *in docendo* occupatur, alia atque alia ſit definitio. *THEOLOGIA UTENS eſt intellectualis habitus hominem peccato corruptum dirigens ad fidem & obſervationem mandatorum Dei, æternæ felicitatis causâ. THEOLOGIA DOCENS eſt idem habitus, prout explicat, confirmat & defendit ea præcepta, quibus homo peccato corruptus ad fidem & obſervationem mandatorum Dei dirigitur æternæ felicitatis causâ.* Et hac conſideratione hujus ferè eſt loci.

24. Sed & methodus docendi pro diverſo auditorum ſive diſcentium ſcopo & captu variat. Alii enim tantum rudimenta fidei docentur, ut olim Catechumeni, de quibus Auguſtinus *l. de fide & oper. Cap.* VI. Cyrillus *præf. in catech.* & *Catech.* VI. alii homilias audiunt, ut provectiores Chriſtiani; alii denique ipſam Theologiam doceri cupiunt, ut ſtudioſi in Academiis.

25. Erudiendis catechumenis ſufficit quisque provectior ac cordatus Chriſtianus. At vel ſtudioſos in Academiis, vel populum de ſuggeſtu docere, non niſi ejus eſt, qui habitu Theologiæ ſit præditus. Quanquam ad hoc præſtandum non tam accurata Theologiæ cognitio quàm ad illud requiritur.

26. Eccleſiaſtæ enim, ſive qui populum è ſuggeſtu erudiunt, dogmata fidei & morum ſimpliciori methodo, & aut omnium aut plerorumque captui congruâ exponunt & confirmant, nec niſi præcipuos errores, in quos aut facilis eſt la-

pſus,aut quorum periculum alicunde imminet, confutare neceſſum habent. At qui in ſcholis illuſtribus ſive Academiis docent, accuratius ac plenius omnia perſequuntur, ſeu in ſcripturis interpretandis, ſeu in explicandis, confirmandis ac defendendis fidei articulis occupentur.

27. Ab iſta ſimplici & populari inſtitutione Theologia ipſa *poſitiva*, *didactica*, & quòd in Eccleſia ejus præcipua ſit utilitas, *Eccleſiaſtica* nuncupatur. Cujus idoneus auditor Chriſtianorum quisque eſt, illiteratus quamlibet & idiota, dummodo rudimentis catecheſeos imbutus, & ad normam præceptorum decalogi educatus, quâ par eſt attentione & meditatione, auſcultet.

28. Ab alterâ accuratiori & Academiis accommodatâ docendi methodo dici Theologia poteſt *Academica*. Et ea tribus ferè capitibus abſolvitur: (I) accuratiori ſcripturæ expoſitione; (II) Certaminum ac rituum primitivæ Eccleſiæ enarratione; (III) dogmatum fidei confirmatione, & controverſiarum diſceptatione. Unde in *Exegeticam*, *Hiſtoricam* & *Scholaſticam* ſeu *Polemicam* dividitur.

29. Idoneus Ejus auditor non eſt quilibet, qui in fide ac moribus proficit, atque adeò ex homiliis fructum refert; ſed qui eſt πεπαιδευμένος κατὰ ἀκρίβειαν, ſicut Paulus *Act.* XXII, 3.

30. Qualis is demum eſt, qui (I.) generalibus τῆς ἀκριβείας adminiculis eſt inſtructus, ut ſunt Logica, Philoſophia, peritia Linguarum & Rhetorica, Hiſtoria, Chronologia & Geographia: præſuppoſitâ rectâ educatione, probitate & φιλοπονίᾳ. (II.) qui ſpeciatim eſt immunis à præjudiciis Theologicis; dogmata fidei & morum æquè cum provectioribus novit, & rationem ſub obſequium fidei captivat.

31. Cum verò practica diſciplina ſit Theologia, metho-

do

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

do analyticâ à multis tradi ſolet, ita ut à fine ad ſubjectum, inde ad media fiat progreſſus.

32. Quin & ſicut Philoſophia practica, in partem *generalem* ac *ſpecialem* dividitur. Tradit illa, quæ omnibus creditu vel factu ad ſalutem neceſſaria ſunt: hæc verò Eccleſiæ conſtituendæ & regendæ conſervandæque modum docet, eoque paſtoribus, magiſtratibus, conjugibus & ſua cuiq; ordini munia præſcribit.

33. Nos autem neque huic partitioni inhærebimus, neq; Theologiam methodo analytica, ſed communi more ſecundum ſeriem locorum Theologicorum trademus.

CAPUT. II.

DE

SCRIPTURA SACRA,

SECTIO I.

De Natura & Conſtitutione Scripturæ S. Canonicæ.

I.

SCriptura Sacra inde dicitur *Canonica*, quod iis, qui ad vitam æternam contendunt, ſit *canon*, & exactiſſima regula fidei & morum, *Gal.* VI, 16. *Phil.* III, 16. *Rom.* X, 18. P*ſalm.* XIIX, 14.

2. Maximè autem hoc nomine ſecernitur à libris *Eccleſiaſticis* & *Apocryphis*, quorum pariter ac *canonicorum* diſcrimen partitionemque ſequenti capite trademus.

3. Quod rem ipſam attinet, *canonica ſcriptura eſt verbum*

Dei

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

Dei, à Prophetis Ebræo, & ab Apoſtolis Græco ſermone diverſis locis ac temporibus, inſtinctu Spiritus S. in literas relatum, inſtruens nos ad ſalutem per fidem, quæ eſt in Chriſto Jeſu II. Tim. III, 15.

4. *Verbum Dei* hîc dicitur, quo Deus miſericors, tandem ex luce inacceſſibili quaſi prodiens, reconditæ voluntatis ſuæ atque indulgentiæ adyta perditis mortalibus recluſit. Quod primum quidem privatim à Deo patefactum; mox inſtinctu Dei promulgatum; denique auctore ipſo ad poſteros propagatum eſt.

5. Privatim á Deo dico patefactum, quod paucis iisque ſanctitate eximiis viris de voluntate ſuâ ac Meſſiæ beneficiis ſecretò revelavit Deus; ut in V. T. Protoplaſtis, Moſi & Prophetis; in Novo Johanni Baptiſtæ, Apoſtolis & Apoſtolicis Viris; ſicut nomine omnium Apoſtolorùm agnoſcit D. Paulus I. Cor. II, 8, 10.

6. Pluribus autem modis ac ſignis Deus verbum ſuum patefecit, quàm homines ſibi invicem loquuntur: (I.) *alloquio*, ſeu apparentis in aſſumta ſpecie perſonæ, ut *Gen.* XIIX, & XXXII. Exod. III. ſeu perſonà conſpectâ nullâ, ut *Matth.* III, 17. & XVII, 5. [II] *Somnio* vel *exſtatica viſione*, quod revelationis genus *Prophetiam* appellant, ſecundum illud *Num.* XII. 6. *Somnii* exempla ſunt *Dan.* XII, 19. & *Gen.* XXVIII, 16. *Viſionis; Dan.* X, 5, 6, 7, *Ezech.* I, 4, & XXXVII, I. *Act.* X, 10. II. *Cor.* XII, 2, 3, 4 (III) *Immediatè mentem excitante Spiritu Sancto*, extra ſomnum & ἔκςασιν: quod revelationis genus Hebræi *Spiritum Sanctum* appellant, ut in Davide II. Sam. XXIII, 2.

7. Deum quoque per URIM & TUMMIM, editis ad quæſita reſponſis, voluntatem ſuam Iſraelitis manifeſtaſſe, Sacris literis proditum eſt, ut I. *Sam.* XXIII, 2. Verùm cùm hoc oraculi genere ferè de rebus civilibus conſuli & reſponſa dare conſueverit: id ad propoſitum non multum pertinet.

8. Porrò

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

8. Porrò DEUS verbum ſuum ita ſecretò, & paucis revelâſſe non contentus, id ut quàm latiſſimè prodeſſet, etiam promulgari & in vulgus efferri fecit; primum per eoſdem, quibus ſecretò revelaverat, ut per Moſen & Prophetas; noviſſimè per Filium, uti conſtat ex *Hebr* I, I. denique per Apoſtolos, ad quos mandatum promulgationis extat *Matth.* XXIIX.

9. Sicut autem Deus diverſis vicibus ac temporibus revelationes, initio quidem obſcuriores, ſenſim ac ſubinde illuſtriores exhibuit: Ita & πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως promulgationem earundem eſſe factam, docemur cit. *Hebr.* I, I.

10. Eſſe verò verbum Dei, non minùs illo ſigno & actu, quo promulgatum, quàm quo revelatum eſt, liquet ex II. *Pet.* I, 21. I. *Cor,* II, 13.

11. Neque ſatis erat, verbum Dei ſemel atque iterum præconio promulgatum eſſe: etiam conſervandum & ad poſteros transmittendum erat. Et in V. quidem T. ſat diu vivâ voce propagatum fuit, videlicet ab Adamo uſque ad Moſen, per annos mille quadringentos & plures.

12. Aucto autem genere humano, rarioribus jam factis Dei alloquiis, & ad paucos redactâ annos hominum ætate, in literas referri cœpit, quò rectiùs conſervaretur.

13. Primus ſcriptor erat Moſes, præeunte, &, ut ſequatur, jubente Deo *Exod.* XXXIV, 27. quem ſecuti ſunt Prophetæ; & qui Spiritu Prophetico quidem, ſed non ad munus Propheticum inſtructi erant; ut David, Salomon, Daniel; finem imponente Malachiâ.

14. Sicut autem *locuti ſunt*, *acti â Spiritu Sancto* II. Pet. I, 21. Ita & ejus afflatu ſcripſerunt. Unde Paulus de Scriptura V. T. præcipuè loquens, πᾶσαν θεόπνευστον, ſive *totam divinitus inſpiratam* prædicat.

15. In N. T. poſtquam ſalus per Dominum enarrari

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

cœperat, Apoſtolorum tàm voce quàm Scripturâ confirmata eſt, uti intelligimus locum *Hebr*. II, 3.

16. Initium ſcribendi fecit Matthæus, ſecundum Nicephorum quindecim, veriùs autem ſecundum Theophylactum octo annis poſt adſcenſionem Chriſti. Mox & alii, quos inter poſtremus fuit S. Johannes, tantâ diligentiâ ſcribendi munere defuncti fuerunt, ut intra annos non adeò multos totam ſcripturam N. T. conſignatam dederint. Vide Theophyl. *præf. in Matth.*

17 Sicut *non locuti ſunt ſermonibus, quos doceret humana ſapientia, ſed quos doceret Spiritus Sanctus* I. Cor. II, 13. Ita quoq; inſtinctu Spiritûs Sancti ſcripſerunt, Quò per uſitatam ampliationem extendi poteſt, quod aliàs de ſcriptura V. T. loquitur, dictum II. Tim. III, 16. πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος.

18. Per hoc itaque Scriptura tam V. quàm N. T. formaliter Dei verbum eſt, quòd utraque tota θεόπνευστος ſive divinitus inſpirata eſt: neque quicquam ſcriptores, niſi ſcribendi miniſterium, ut amanuenſes, qui ab ore dictantis ac verba præeuntis pendent, contulerunt. Quamobrem Gregorius M. Scripturam, quaſi ex ore Dei dictantis exceptam, vocat *epiſtolam omnipotentis Dei ad creaturam ſuam*. Reg. libr. IV. ep. 40.

19. Quanquam quia ſcriptores diverſis ingeniis ac moribꝰ eſſent, ſtylo diſſimili ſcripſerunt, condeſcendente Spiritu Sancto; Sicut Eſaias, ſtylo grandi ac nitido; Jeremias, humili; de quibus vide Hieronym. *præfat. in Jerem. ep.* CXVII.

20. Etſi autem initiò ad texendam ſcripturam nihil intererat, quo ſermone vel idiomate componeretur: poſtquam tamen compoſita & contexta eſt, non niſi eo idiomate divina & canonica ſcriptura eſt, quo Deum auctorem habet.

21. Et tota quidem Scriptura V. T. eſt Ebræa, exceptis in Daniele & Eſdrâ paucis Chaldaicis; tota N. T. eſt Græca, niſi

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

niſi quòd Evangelium Matthæi primitus Hebræo ſermone ab ipſo conſcriptum eſſe, antiquiſſimi patres tradiderunt, quos ſect. ſeq. commemorare lubet.

22. Quia Scriptura Theologiæ principium eſt; eundem cum illa finem, idem ſubjectum, idem objectum habet. Niſi quod Theologia methodica eſt; ſed ſcriptura non ſecus ac hiſtoria confusè huc illuc vagatur; inſperſis quandoque extraneis; quantumvis & his ad ædificationem quodammodò comparatis; ſecundum illud Pauli Rom. XV, 4.

SECTIO II.

De libris Canonicis, Eccleſiaſticis & Apocryphis.

I.

POſtquam de naturâ & conſtitutione Scripturæ Canonicæ pauca delibavimus; ineundus nunc eſt librorum *Canonicorum* numerus, ut, qui auctoritatem divinam non habent, *Eccleſiaſtici* & *Apocryphi* libri ab illis ſequeſtrentur.

2. Secatur autem Scriptura Canonica, generali partitione, in *Vetus* Teſtamentum, quo Chriſtus venturus typis & figuris qualitercunque adumbratur; & in *Novum*, quo exhibitus cum omnibus meritis, officiis & beneficiis clariùs repræſentatur. Quanquam alio ſenſu diſtinctionem capit D. Paulus *Gal.* IV, 24. II. *Cor.* III, 6. & 14. Confer *Hebr.* IX, 15.

3. Vetus Teſtamentum complectitur LEGEM, PROPHETAS & HAGIOGRAPHA. Sic diviſerunt Judæi; Sic ipſe Chriſtus; niſi quod pro Hagiographis Pſalmos nominat *Luc.* XXIV, 44. Alibi autem planè hoc tertium membrum ſuppreſſit, ut *Luc.* XVI, 29, quod fecit & Paulus *Act.* XXVI, 22. XXVIII, 23.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

4. LEX in quinque libros diviſa eſt, & inde *Pentateuchon* dicta; cujus ſcriptor eſt Moſes, quem ipſe Deus Prophetarum numero exemit *Num.* XII, 6. Antecellebat enim illis & officio, quia erat Dei internuncius; & revelationis modo, quia *ore ad os* ipſi Deus loquebatur.

5. PROPHETÆ diſtinguuntur in *Priores*, qui poſt obitum Moſis, & ante diviſum Iſraelis & Judæ imperium floru erunt; & *Poſteriores*, qui poſt X. tribuum â duabus ſeceſſionem in utroque tàm Iſraelis quàm Judæ regno ſcripta ediderunt.

6. PRIORUM Prophetarum ſunt, qui extant, libri IV. Hiſtorici: *1. Joſua*; *2. Iudicum cum appendice Ruth*; *3. Samuelis unus*; 4. *unus Regum*; quanquam horum poſteriorum uterq; poſtmodùm in duos eſt diviſus.

7. POSTERIORES in *Majores & Minores* dividuntur: non pro meritis: ſed verſuum ac paginarum numero. Majores ſunt tres: *Ieſaias*, *Jeremias* & *Ezechiel*; & totidem illorum libri. Minores ſunt duodecim; ſed unum librum conſtituunt, qui ſub nomine *libri Prophetarum* citatur *Act.* VII, 24.

8. HAGIOGRAPHA dicuntur, quæ immediato Spiritus S. afflatu ſcripta ſunt: & numerant Hebræi novem; *Pſalmos*, *Proverbia*, *Iobum*, *Canticum*, *Eccleſiaſten*, *Eſtheram*, *Danielem*, *Eſram cum Nehemia*, *Chronica*. Quanquam ex poſtremis duobus poſteà plures facti ſunt libri.

9. In hos ordines libros V. T. deſcripſit Eſdra, ſcriba ac interpres Domini, poſt gentis ſuæ ex captivitate Babylonicâ reditum, adeoque pro numero literarum Ebraicarum XXII. libros numeravit, teſte Ioſepho contra Appionem libr. I.

10. Poſteriores autem Ebræi XXIV libros numeràrunt, *Ruth* à libro *Iudicum*, & *Threnis* à *Ieremia* divulſis, & inter Hagio-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

giographa relatis. Idem numerus Chriſtianis tàm Græcis quàm Latinis placuit. Vide Hieronymum in prologo galeato; item Præfat. in Danielem; & Sixtum Senenſem Bibl. libr. 1.

11. Nullos verò alios libros V. T. quàm quos modò recenſuimus, fuiſſe in Canone, tàm Judæi teſtantur, quibus *concredita fuere eloquia Dei Rom.* III, 2. quàm qui illorum fidem ſequuntur, veteres Chriſtiani.

12. Ex Iudæis numerum XXII. librorum comprobat Joſephus *l. 1. contra App.* & *apud Euſeb. l. III,* 10. Idem gentis ſuæ in cuſtodiendis libris fidem, conſtantiam & religionem commendat l. c. Laudat quoque Philo apud Euſebium προπαρασκ. l. VII. Neque laude ſua defraudat Auguſtinus *lib.* XII. *contra Fauſt. cap.* XXIII. & *enarrat. in* Pſalm. XL.

13. Ex antiquioribus Chriſtianis, & Græcis quidem, Canonem V. T. texuerunt *Melito, Origenes, Euſebius, Cyrillus Hieroſolymitanus, Gregorius Nazianzenus, Athanaſius, Amphilochius,* & *Synodus Laodicena:* Ex Latinis, *Tertullianus, Hilarius, Hieronymus* & *Ruffinus.*

14. Quicquid librorum præter eos, quos commemoravimus, veteri Teſtamento accenſetur; inter Apocrypha eſt referendum; uti prologo in libros Regum docet Hieronymus.

15. Non autem ille de libris Apocryphis par ubique fert judicium. Epiſtolâ ad Lætam dicit eſſe cavendos, quòd falſa contineant, & aliorum nomina mentiantur. Confer. *comm. in Eſaiæ cap.* LXIV, 4. At prologo in libros Regum decernit, *legi ad ædificationem plebis, non ad auctoritatem Eccleſiaſticorum dogmatum confirmandam.*

16. Itaque ex ſententia Hieronymi duo Apocryphorum genera conſtituantur neceſſum eſt: Vnum inutilium &

cavendorum ; alterum eorum, quæ utiliter in Eccleſiâ leguntur.

17. Solos prioris generis libros Apocryphorum nomine intelligunt Athanaſius in epiſtolâ feſtali; Ruffinꝰ in expoſitione Symboli; & Auguſtinus contra Fauſtum lib. XXII, c. 79. Item de civ. Dei. libr. XV, c. 23. Cujusmodi ſunt *liber* XII. *Patriarcharum*, *Prophetia Enochi*, *Pſalmus CLI. Davidis*, & alii plures, quos Athanaſii Synopſis S. Scripturæ commemorat.

18. Poſterioris generis libros laudati Scriptores, Athanaſius & Ruffinus, locis citatis, *Eccleſiaſticos* appellitant: cùm quòd aliqua eorum in Eccleſia ſit utilitas; tùm ut eo nomine ab apocryphis prioris ordinis diſtingvant. Quales ſunt; *liber Tobiæ*, *Judith*, *Sapientiæ*, *Eccleſiaſticus*, *Baruch*, *libri I. & II. Maccabæorum*, *Additiones ad Eſtheram & Danielem*.

19. Contrà Scriptores ac Patres quidam quinti ſeculi, primùm Innocentius Papa, tùm Auguſtinus, dein Concilium Carthaginenſe, denique Gelaſius Papa modò dictos libros Canonicis annumerarunt; ſed ita tamen, ut auctoritate minimè æquârint.

20. Expreſsè Auguſtinus facit duos librorum canonicorum ordines. Alio & ſuperiori loco habet libros, *quibus Dominus teſtimonium perhibet*, & quos probant Judæi; ſcilicet *legem*, *Prophetas* & *Pſalmos*. In alio & inferiori gradu libros Maccabæorum & alios hujus generis collocans, non eſſe canonicos ait, ſed *Eccleſiam eos pro canonicis habere*, propter utilia monita & exempla. Vide *libr.* XVIII *de civ: Dei*, *cap.* XXXVI. & *libr. II. Contra Gaud. cap.* XXII.

21. Eodem modo exponendos eſſe reliquos, partim contextus apud ipſos ſubinnuit, partim ſuadet præſumtio. Neque enim probabile eſt, ab univerſis priorum ſeculorum doctoribus unos illos diſſentire voluiſſe: præſertim cum qui

poſt

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

poſt ipſos, usque ad concilium Tridentinum floruerunt, æquè libros Eccleſiaſticos à canonicis ſtrictè ita dictis excluſerint.

22. Olim dubitatum quoque fuit de nonnullis libris canonicis N. T. ut de *epiſtolâ ad Ebræos, Jacobi, II. Petri, II. & III. Johannis*; *epiſtolâ item Judæ, & Apocalypſi*; ſed hodiè nulla de iis ſupereſt controverſia. Quò minùs viſum eſt neceſſarium, in ſtabiliendo N. T. canone occupari.

23. Tantùm de evangelio Matthæi hodiè eſt contentio; utrumve Ebræo, an Græco ſermone primitus ſit conſcriptum. Pro hoc acriter pugnant recentiores Theologi: illud autem unà voce & mente tradunt antiquiſſimi ſcriptores; ut *Papias* apud Euſebium; *Irenæus*; *Origenes*, teſte Euſebio; ipſe *Euſebius*; dehinc *Athanaſius*, *Epiphanius*, *Hieronymus*, *Chryſoſtomus*, *Theophylactus*, & alii.

24. Si quando extitit; hodiè tamen non extat authenticum exemplar Ebræi evangelii: & ſi tantùm verſio eſt, quæ hodiè ſuperat, Græca editio; à canonico incertum quo ſcriptore adornata, tam Apoſtolorum quàm veteris Eccleſiæ approbatione ſemper in canone habita fuit.

SECTIO III.

De affectionibus Scripturæ Sacræ.

1. Poſtquam de Scripturæ Canonicæ tùm naturâ tùm partitione fuit actum, quædam illius conſiderandæ affectiones ſive proprietates ſunt, ut *auctoritas*, *efficacia*, *perſpicuitas* & *perfectio*.

2. Habet autem Scriptura S. Canonica à Deo auctore ſuo divinam, eoque tantam auctoritatem; ut aſſerenti ſine formidine oppoſiti credamus, & præcipienti vel vetanti obſequamur.

3. Illa

3. Illa auctoritas propriè & formaliter eſt in ipſo Deo; & quatenus movet ad credendum, eſt infinita ejus ſapientia & bonitas: quatenus ad obſequendum; eſt ſumma ejus poteſtas.

4. Tribuitur autem eadem auctoritas Scripturæ Sacræ, per extrinſecam, quam Logici vocant, denominationem. Neque enim ratio denominandi eſt, quòd ipſa in ſe ſcriptura ſit infinitè ſapiens & bona, ſummæque poteſtatis particeps; ſed quòd à Deo, cujus tanta eſt perfectio, ortum traxerit.

5. Cum verò quò propiùs ſcriptura vel doctrina aliqua à Deo eſt profecta & quò minus operæ humanæ intervenit, eò major ejus ſit auctoritas: Scripturæ ſumma & maxima ſit neceſſum eſt; quia eo pacto eſt à Deo, quo nullum aliud ſcriptum; ſcilicet quoad *res, verba & idioma*: adeò ut præter ſcribendi miniſterium nihil aut parum humana induſtria contulerit. Id enim θεόπνευστον eſſe ſonare videtur apud Paulum II. Tim. III, 16.

6. Sunt quidem etiam Bibliorum verſiones, Dei verbum; ſunt etiam ſymbola, confeſſiones, & alia ſcripturis ſacris conformia ſcripta; ſed minore auctoritate; quoniam hæc quidem tantùm quoad res; illæ, etiam quoad verba & voces, ſed non item quoad idioma Deo auctori conſecrantur. At *magna, imò maxima omnium auctoritatum, quæ ſub cœlo eſſe poteſt, eſt auctoritas Sacræ Scripturæ* (verba ſunt Alphonſi Toſtati *præf. in Matth. qu. V.*) quia tota omninò eſt θεόπνευστος.

7. Quoniam itaq; ob θεοπνευστίαν ſcriptura habet divinam ac ſummam auctoritatem; res ipſa loquitur, non niſi apud eos in tanta auctoritate eſſe, quibus cognitum perſuaſumque eſt, eam Deum auctorem non quocunque modo, ſed ita habere, ut planè ſit θεόπνευστος. Quod quidem creditu tantò eſt difficilius, quantò inevidentior eſt θεοπνευστία, ſive divina ejus inſpiratio.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

8. Habet quidem ſcriptura in ſe altioris ſuæ originis quædam κριτήρια. Quandoquidem dicentis majeſtatem arguit ſimplicitas ſtyli, & ſine demonſtrationibus aſſerendi præcipiendique auctoritas; ſapientiam, abſtruſi ſenſus; veritatem, adimpleta vaticinia, & V. T. cum N. conſenſus; ſanctitatem, ſanctiſſima præcepta; bonitatem denique ſui auctoris, promiſſa beneficia loqvuntur.

9. Sunt & externa quædam motiva, ſed alia aliis efficaciora Multùm olim valebant Chriſti & Apoſtolorum miracula, ad confirmandam, quæ ſacris literis continetur, doctrinam; tum Martyrum conſtantia; dein admirandi ſucceſſus converſarum gentium. Poſt illa, magnum in auctoritate Eccleſiæ eſt pondus, experimento Auguſtini, ajentis: *Ego verò Evangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoveret auctoritas.* Contra ep. Fund. cap. V.

10. Non autem argumenta ſtringentia ſunt; ſed externa motiva ſæpe plus non valent, quàm ut ad legendam conſiderandamque ſcripturam inducant: ſicut Samaritani, â muliere quadam inducti, ad videndum Chriſtum exierunt Joh. IV. 29, 30. Interna probabilitatem, & qualemcunque opinionem altioris, quàm humanæ originis, in legentium animis defigunt.

11. Præter iſta motiva, propria quædam verbi Dei efficacia eſt, cui in affectionibus ſecundum locum dedimus: quæ in eo conſiſtit, quòd Spiritus S. per verbum lectum vel auditum, velut per organum, adeò percellit animos noſtros, ut eſſe verbum Dei credamus, & ei obſequamur.

12. Hujusmodi efficacia *evangelio* tribuitur Rom. I, 16. 1. Petr. I, 23. *legi* Jer. XXIII, 29. Operatio Spiritus S. per verbum, dicitur quoddam ejus *teſtimonium*, 1. Joh. V, 6, 10. Apud Paulnm ἀπόδειξις πνεύματος καὶ δυνάμεως, opponiturque *verbis perſvaſoriis humanæ ſapientiæ*, I. Cor. II, 4.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

13. Non autem ad id valent verbi efficacia, & Spiritûs S. teſtimonium, ut Scripturam Sacram, etiam quoad verborum contextum & idioma, divinitus inſpiratam eſſe credamus; ſed tantùm ut doctrinæ ſacris literis comprehenſæ divinam originem & veritatem agnoſcamus. Unde ſi verbum Dei in verſione, vel in alio pio ſcripto legatur, non minorem habet efficaciam, adjuvante Spiritu Sancto, quàm ſi Ebræa aut Græca Biblia legantur.

14. Verborum verò contextum pariter, atque idioma, eſſe à Deo, partim ex ſacrâ Scripturâ, partim ex traditione Veteris Eccleſiæ probamus.

15. Ex ſcripturâ generaliter novimus & credimus, (I.) *totam ſcripturam* Moſis & Prophetarum eſſe ſub aliquo verborum contextu & idiomate *divinitus inſpiratam*, II. Tim. III. (II.) Apoſtolos quoque *myſteria locutos eſſe* (& ſcripſiſſe) *ſermonibus, quos docet Spiritus S.* I. Cor. II. Quandò autem ſub his, quaſi majoribus propoſitionibus, ſubſumendum eſt de ſingulis libris; *hos eſſe à Prophetis, hoc idiomate; illos ab Apoſtolis, alio ſermone ſcriptos; ideoque hos & non alios, hoc & non alio idiomate, eſſe divinitus inſpiratos*: tum traditio Vet. Eccleſ. utramque paginam facit.

16. Perſpicua quoque eſt S. Scriptura, non evidentiâ rerum (tractat enim myſteria à ſeculis abſcondita) ſed luce & claritate verborum, in quantum verbis uſitatis & propriis utitur. *Ex nominibus enim & verbis perſpicuam quidem orationem efficiunt propria*, ait Ariſtoteles l. III. Rhet. cap. 2.

17. Diſtinctione autem hîc opus eſt. Traduntur multa in ſcriptura, quæ citra ſalutis jacturam ignorari poſſunt, ut typi V. T. viſiones Propheticæ, miracula, hiſtoriæ, exempla, parabolæ & alia, in quibus quin obſcura aliquando ſit ſcriptura, vix negari poteſt.

18. Perſpicua interim eſt, ubi de fide, & moribus, aut ſacra-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

mentis agit; aut niſi etiam in his ubique locis, ſaltem in illis, ubi cujusque dogmatis vel inſtituti ſacramenti ſedes eſt.

19. Hinc David, quod ſuo tempore extabat verbum, *lucernæ* ac *lumini*; & S. Petrus totum à Prophetis conſcriptum ſermonem *lucernæ in loco caliginoſo lucenti* comparat, Pſ. CXIX, 105. II. Petr. I, 19. Et cum Jehova apud Moſen legem ſuam *intellectu haud difficilem* pronunciat, Deut. XXX, 11. Paulus eadem verba ad Evangelium, ſive ad *verbum fidei*, accommodat, Rom. X, 8.

20. Notum etiam eſt illud Auguſtini libr. II. de doct. Chriſt. cap. IX. *In iis, quæ apertè in ſcriptura poſita ſunt, inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem, moresque vivendi.*

21. Ultimum in affectionibus ſcripturæ locum tenet ejus perfectio, quæ non ex mole librorum, neque ex rerum, quas tractat, multitudine, ſed ex ſufficientiâ ad ſalutem æſtimatur.

22. Non itaque hîc quæritur (I) *an ſcriptura, quanta hodiè extat, contineat omnes libros, qui unquam à Prophetis vel Apoſtolis conſcripti fuerunt?* Hoc enim ad ſalutem non eſt neceſſarium. Neque (II) *an literis conſignata ſint omnia dicta & facta ſervatoris?* contrarium enim patet ex Joh. XXI, 25. multò minus (III) *an ſcripta ſint omnia dicta & facta Prophetarum & Apoſtolorum?* Neque enim hoc ad ſalutem erat neceſſarium.

23. Sed id eſt in quæſtione: *An Scriptura contineat omnia, quæ creditu vel factu ad ſalutem neceſſaria ſunt, ut in ordine ad ſalutem poſſit eſſe ſufficiens norma fidei & morum, neque verbo tradito, vel non ſcripto ſit opus?*

24. Negantibus Pontificiis, nos affirmamus: non quaſi putemus, omnia expreſſis verbis in ſcriptura contineri, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt; ſed quòd omnia ex ea, ſive *expreſſis verbis*, ſive per *conſequentiam*, deduci poſſint.

25. Pro ſufficientia ſcripturæ noſtri & veteres Theologi citant loca Joh. XX, 31. I. Joh. I, 3, 4. Act. I, 1. maximè autem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

dictum II. *Tim.* III, 14. & ſeq. ſed difficile eſt, ex his argumentum nectere, omni exceptione majus.

26. Nobis non rectius adſtrui videtur poſſe ſcripturæ ſufficientia, quàm ſi inductis & enumeratis ſingulis, quæ Vetus Eccleſia creditu vel factu ad ſalutem neceſſaria habuit, quodlibet eorum ex Scriptuta S. rectè & ordine deducamus.

27. Neque hic quicquam Pontificii proficient, niſi oſtendant, eſſe aliquid creditu vel factu ad ſalutem neceſſarium, quod tamen neque expreſſis verbis, neque per conſequentiam ex ſcriptura S. deduci poſſit.

SECTIO IV.

De interpretatione.

INterpretatio eſt ejus, quod alteri ignotum aut obſcurum eſt, per notius aut clarius quid manifeſtatio. Et alia quidem eſt *rerum*; alia *conceptuum mentis*; quarum utraque ab inſtituto aliena eſt; alia *verborum*, quæ hujus loci.

2. Verba autem indigent interpretatione dupliciter (I) quatenus ſunt ignoti idiomatis; (II) quatenus ſub noto etiam idiomate ſenſum involvunt.

3. Priori modo, verborum interpretatio eſt *eorundem in alium ſermonem verſio vel translatio*, ut ratione V. T. Græca verſio LXX. Interpretum, & Paraphraſis Chaldaica; ratione Novi, verſio Syriaca; ratione utriusque, vulgata & antiqua Latina.

4. Poſteriori modo, interpretatio eſt ſensûs à dicente intenti, per alia, ſive ejusdem, ſive diverſi idiomatis, clariora verba expoſitio. Prius itaque de ſenſu ſcripturæ, quàm de interpretatione agendum.

5. Diſtinguitur ſenſus ſcripturæ in *literalem*, qui per verba immediatè ſignificatur; & *myſticum*, qui non tam verborum eſt, quàm rerum verbis expreſſarum, in quantum illæ res

aliarum

aliarum rerum typi, umbræ, figuræ, ſigna, vel ſymbola ſunt. Unde ille *immediatus*, hic *mediatus* dici poteſt.

6. Utrum verò *ſenſus literalis* tantùm ſit, quem verba in propriâ ſignificatione accepta reddunt; an verò etiam, quem figurata, & tropo modificata; de eo inter auctores non convenit

7. Auguſtinus l. III. *de doct. Chriſt. C. V.* Literæ locutionem figuratam opponit. *In principio*, inquit, *cavendum eſt, ne figuratam locutionem ad literam accipias. Qui enim ſequitur literam, translata verba, ſicut propria, tenet.* Et Pererius in Gen. cap. XV, v. 5. diſp. I. ait: *Definitur ſenſus literalis, quem verba reddunt propriè accepta.*

8. Hieronymus autem literali ſenſu tam proprium quàm figuratum complecti videtur, cum *Comment. in Proph. Amos Cap. IV.* ſcribit: *Debemus ſcripturam Sanctam primùm ſecundum literam intelligere, facientes, in Ethica quæcunque præcepta ſunt; ſecundò juxta allegoriam, id eſt, intelligentiam Spiritualem; tertiò ſecundum futurorum beatitudinem.*

9. Nobis literalis ſcripturæ ſenſus dicendus videtur, *quemcunque auctor ejus, Spiritus Sanctus, per verba ſive propria, ſive figurata, immediatè intendit, ac ſignificare voluit.*

10. Si quando igitur ſenſus, qui propriæ verborum ſignificationi reſpondet, locum non habet: tunc is eſt verus literalis ſenſus, quem verba illa figurata, rectè intellecta, & in ſimplicem dictionem converſa, ſuppeditant. Ita cum B. Glaſſio multi noſtrorum Theologorum ſentiunt.

11. Ubi obſervanda venit regula Auguſtini lib. III. de doctr. Chriſt. cap. X. *Quicquid in ſermone divino neque ad morum honeſtatem, neque ad fidei veritatem referri poteſt, figuratum eſſe cognoſcas.*

12. Ut autem in aliorum ſcriptorum ac ſermonum interpretatione ſemper attendimus, quomodo ſuper verba, naturali concipiendi modo, feratur

omnium intellectus: ita hoc præcipuum & immotum interpretandæ S. ſcripturæ fundamentum eſto.

13. Quem igitur ſenſum, ſecundum communem verborum uſum, & ſignificationem, omnes concipiunt, aut conciperent; is tamdiu pro vero ſenſu habendus eſt, donec fixa, & cogens, ac irrefragabilis recedendi ratio, evidentiſſimè oſtendatur.

14. Ubi res ipſa loquitur, non eſſe deſerendum ſenſum, ex communi & ſimplici verborum ſignificatione ortum, quòd ab humano ingenio rebusque conſuetis ſit remotus: id enim myſteriorum fidei proprium eſt.

15. Si quando autem analogia fidei, aut loca parallela clariora, aut antecedentia & conſequentia in contextu, ſcopusq; dicentis, aut aliæ circumſtantiæ repugnarent, vel etiam manifeſta & ſole clarior contradictio ſeſe oſtenderet: tunc quidem recedendi neceſſitas injungeretur.

16. Quænam verò potiſſimum ſignificatio in tali caſu amplectenda ſit, ſi non plenè ipſe contextus, ſaltem alius clarior ſcripturæ locus pleniſſimè indicabit.

17. Obſervandæ interim ſunt regulæ ἑρμηνευτικαί, quarum, aliæ ex uſu & ſignificatione vocum ſunt deſumtæ; aliæ ad intentionem dicentis vel ſcribentis pertinent.

18. Regulæ prioris generis partim *Grammaticæ*, partim *Rhetoricæ* ſunt, & pro diverſo Ebræi ac Græci ſermonis genio & idiotiſmo variant. Videri poſſunt apud Cornel. à Lapid. *præf. in Pentateuch.* apud Glaſſium *in Philoſ. Sacr.* denique apud recentiſſimum Bibliorum interpretem Tirinum in principio ſui commentarii.

19. Poſterioris generis regulæ, non arbitrario uſu, ut idiotiſmi ſermonis, ſed lege & neceſſitate quadam immutabili conſtant.

20. Et primùm quidem generale eſt præceptum, & ab antiquis identidem inculcatum; *ex antecedentibus & conſequenti-*

bus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

bus, ex occaſione, ſcopo, materiâ, & aliis cauſis, intentionem dicentis vel ſcribentis conjectandam eſſe. Hilarius l. IV. de Trin. ait: *Intelligentia dictorũ ex cauſis dicendi aſſumenda eſt.* Et ibid. lib. IX. *Dictorum intelligentia, aut ex propoſitis, aut ex conſequentibus exſpectetur.*

21. Specialiores autem regulæ plures ſunt, quam ut in breviculis his theſibus, quaſi in compendio, commemorari poſſint. Et tantum de *ſenſu literali.*

22. Senſum *myſticum*, ſive *Spiritualem*, dividit Thomas in *Allegoricum, Tropologicum*, & *Anagogicum*, part. I. qu. I. art. X. Quanquam Auguſtinus *allegoriam*, & *ſenſum allegoricum*, latius pro quovis ſenſu myſtico accipere videtur.

23. Senſu *allegorico* dicta V. T. ad Chriſtum, vel Eccleſiam Novi Fœderis; ſenſu *tropologico*, ad mores hominum, ſive præceptum morale; ſenſu *anagogico*, res hujus ſeculi ad vitam æternam accommodantur. Et ſic horum ſenſuum differentia à diverſitate rerum, ad quas dicta ſcripturæ myſticè trahuntur, petita eſt.

24. Sicut autem verborum, quoad *literalem ſenſum*, interpretatio non eſt arbitraria, ut docetur II. Petr. I. 20. ita nec *myſtica* & *ſpiritualis* rerum interpretatio amplectenda eſt, niſi certò conſtet, Spiritum Sanctum illam intendiſſe.

25. Quod quidem non aliunde, atque ex ſcriptura ipsâ conſtare poteſt. Rectè enim Thomas l. c. *Nihil ſub ſpirituali ſenſu continetur fidei neceſſarium, quod Scriptura per literalem ſenſum alicubi manifeſtè non tradat.*

26. Imò verò ſcriptura novi fœderis non modò perſpicuis verbis ea exponit, quæ in V. T. occultè & myſticè ſignificabantur; verùm etiam per quæ dicta, eum in modum, denotata fuerint, interpretis inſtar explanat.

27. Ita *per ſtatum Ionæ in Ceto*, mortem & Sepulturam Chriſti; *per os non comminutum in agno paſchali*, nullam factam in ſervatore fracturam oſſium; *per duos filios Abrahæ*, duo pacta ſignificari,

ſive

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

ſive figurari,docet ſcriptura. Quæ quidem exempla omnia ad allegoriam pertinent.

28. Tropologiæ autem exemplum eſt, cum Deus apud Moſen Deut.XXV,4.præcipit: *Non obligabis os bovi trituranti.* Quod Paulus myſticè, & quidem in genere morum de homine interpretatur I. Tim. V, *18.*

29. Denique anagogiæ exemplum eſt, cum Deus Iſraelitis promiſit *ingreſſum in requiem ſuam*, i. e. terram Canaan, Pſalm. XCV, 11. Quod de introitu *electorum in vitam æternam* explicatur Hebr. IV, 3.

SECTIO. V.

De Conſequentiis Theologicis.

1.

PRimum Theologiæ principium complexum vulgò hoc ſtatuitur: *Quicquid S. Scriptura canonica docet, eſt infallibiliter verum.* At ſi quæras, quare id, quod S. Scriptura Canonica docet, infallibiliter verum ſit, recurrendum tandem eſt ad aliud, & quidem ad iſtud: *Quicquid S. Scriptura Canonica docet, eſt divinitus inſpiratum.* In hoc principio ſiſtitur. Ergo hoc demum primum eſt.

2. Voco autem *primum*, in genere propoſitionum revelatarum, & quatenus Theologiæ eſt proprium. Aliàs & ipſum ultimò reſolvitur in univerſaliſſimum principium: *Impoſſibile eſt, idem ſimul eſſe & non eſſe.*

3. Trifariàm verò aliquid S. Scriptura docet: (1) *expreſſis verbis* (2) *verbis æquipollentibus.* (3) Per *conſequentiam.* Primum Theologiæ principium intelligendum eſt ita: *Quicquid S. Scriptura Canonica expreſſis aut æquipollentibus verbis docet, id eſt divinitus inſpiratum.* Quod enim tantùm per conſequentiam docet, id non eſt divinitus inſpiratum, niſi *virtualiter*, quatenus remotè & ultimò quoque in ſcripturæ divinam auctoritatem reſolvitur.

4. Rurſus dupliciter aliqua per conſequentiam ex ſcriptura deducuntur: [1] *ita, ut ſcriptura utramq; præmiſſarum, ſive in eodem, ſive diverſis in locis, ſuppeditet*: Et hæc quam proximè accedunt ad ea, quæ formaliter inſpirata & revelata ſunt. [2] *ut una tantùm præmiſſarum ex ſcriptura ſit deſumta, ſive major, ſive minor; altera verò extrinſecus aſſumta, & naturaliter cognita.* De his & aliis ex profeſſo agere, conſilium quidem erat, ſed vetat chartæ penuria.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

CAPUT III.
DE
DEO TRINUNO

1.

AN, & *quid ſit Deus*, ductu luminis naturæ inveſtigari aliquo modo & cognoſci poſſe, præter experientiam, docet S. Paulus *Rom.* 1. Sed *Deum in eſſentia unum eſſe trinum in perſonis*, profundiſſimum, & naturæ incomprehenſibile myſterium eſt.

2. Tria hujus myſterii membra ſunt: (I) *In eſſentia divina eſſe tres realiter diſtinctas perſonas;* ſive alium eſſe, qui ſit Pater; alium, qui ſit Filius; alium, qui ſit Spiritus S. (II) *Unamquamq; harum perſonarum eſſe verum & æternum Deum* (III) *Non tamen propterea eſſe tres Deos, ſed unum Deum.*

3. Quod primum membrum attinet, cùm, trito vocis *Perſonæ* uſu, quodlibet *ſingulare intelligens per ſe ſubſiſtens* intelligatur, non magnoperè probandum eſt, vel Patrem, vel Filium perſonam eſſe: id enim tùm hæc ipſa nomina, tum quæ paſſim in ſcriptura leguntur, utriusque attributa & opera indicant.

4. Sed & Spiritui Sancto ea, quæ non niſi à perſonâ proficiſci poſſunt, & quidem æquè propriè, ac Deo Patri & Filio, tribuuntur: puta quòd liberè *operatur*, *diſtribuens ſingulis* (ſua dona) *prout vult*. I. Cor. XII, 11. quòd *ſcrutatur omnia*, I. Cor. II, 10, 11. quòd *arguit*, *docet*, *annunciat* Joh. XVI, 8, 13. quòd *conſolatur & teſtatur* Joh. XIV, 16, 26. cap. XV, 26. quòd *in Eccleſia conſtituit epiſcopos* Act. XX, 28.

5. Neq; obſtat, quòd etiam de rebus inanimatis quædam dicuntur, quæ perſonæ propria ſunt, ut de *charitate* I. Cor. XIII, 4. & ſeqq. *de lege* Rom. IV, 15. *c.* VII, 1, 7. *de peccato* Rom. VII, 11. de *vento* Joh. III, 8. Has enim improprias locutiones eſſe, res ipſa loquitur.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

6. Non autem unam, ſed plures, ac tres realiter diſtinctas perſonas eſſè, arguit realis ac mutua earum ad ſe invicem relatio. Primùm Pater reſpicit Filium, ut is qui genuit, eum, quem genuit: ſicut Dei Patris ad Filium vox eſt Pſ. II. 7. *Filius meus es tu, ego hodiè genui te.* Et viciſſim Filius, nunc *unigenitus à Patre*, nunc *Filius unigenitus, qui eſt in ſinu Patris*, denique *Filius Dei unigenitus*, appellatur. *Joh. I, 14, 18. cap. III*, 16, 18. At ſeipſum genuiſſe quempiam, aut â ſeipſo eſſe genitum, tàm repugnans, quàm quod maximè eſt.

7. Deinde Spiritus S. reſpicit Patrem & Filium, ut is qui procedit, eos, à quibus procedit (quòd enim *à Patre procedat*, docetur Joh. XV, 26. quòd etiam â Filio, infrà probabitur.) Sed hunc qui procedit, & illos, à quibus procedit, eſſe eundem, repugnat.

8. Sunt & aliæ relationes, quibus perſonæ divinæ diſtingvuntur. Pater ad Filium, ſive ad λόγον comparatur, ut *Deus*, ad eum, *qui apud Deum erat in principio*, ſed ipſe tamen quoque Deus, *Joh. I.* Ut *mittens* ad *miſſum*, Gal. IV. & Joh. XVII. Ut *rogatus* ad *rogantem*, Joh. XIV, 16. Spiritus Sanctus comparatur ad Patrem & Filium, ut *miſſus* ad *mittentes*, Joh. XIV, 26. XV, 26. Ut is, *in quo acceſſum*, ad eos, *ad quem, & per quem habemus*, Eph. II, 18.

9. Adhoc quædam Filio Dei, ut homini, competunt, quæ nec Deo Patri, nec Spiritui Sancto tribui poſſunt, ut *conceptum, natum, paſſum, mortuum, ſepultum eſſe, reſurrexiſſe, adſcendiſſe in cœlos.* Benè hîc Tertullianus *cap. XXX. contra Prax. Si Pater erat, qui patiebatur, ad quem Deum exclamabat;* Deus Meus?

10. Denique expreſsè in Divinitate ἄλλος καὶ ἄλλος eſſe dicitur, quâ particulâ utique realis diſtinctio perſonarum denotatur. Ita Filius de Patre: ἄλλος ἐστὶν ὁ μαρτυρῶν περὶ ἐμοῦ, Joh. V, 32. Et de Spiritu Sancto: ἄλλον παράκλητον δώσει ὑμῖν, *Joh. XIV*, 16. Veteribus pro invicto argumento fuit θεοφάνεια in baptiſmo Chriſti *Matth. III.*

11. Quod

11. Quod ſecundum myſterii membrum attinet, non multoperè probandum eſt, Patrem eſſe verum & æternum Deum: neque enim hoc negatum unquam hæreticis fuit, & ſatis liquet ex iis locis, ubi *abſolutè Deus* nuncupatur, ut *Gal.IV*,4. *Joh.*III,16. At Filium quoque & Spiritum S. eſſe verum Deum, id cùm hæreticorum nonnulli pervicaciter negaverint, probandum eſt.

12. Primùm de Filio plura in promtu ſunt loca, ubi expreſsè Deus nuncupatur, & quidem cum epithetis *Deus benedictus in ſecula* Rom. IX, 5. (quod alibi diſertè Deo Patri tribuitur, ut *Rom,*I,25. II. *Cor.*XI,31. *Marc.*XIV, 61.) *Deus magnus* Tit. II, 13. *verus Deus* I. Joh. V, 20. Omni autem exceptione major eſt locus *Joh.* I. Neq; objurgabat Chriſtus Thomam, ad ſe dicentem: *Dominus meus, & Deus meus*, Joh.XX,28. Confer Hebr.III,3,4.

13. Deinde etiam per conſequentiam Chriſti Divinitas, nec uno modo probatur. Primùm multa in V.T. de Jehovâ, ſive ſummo Deo, indeterminatè & absque perſonarum diſcretione dicta ſunt, quæ in novo fœdere manifeſtis verbis ad Filium Dei accommodantur: ut ita ſub illis V. T. dictis de filio Dei ſubſumere, & minorem formare liceat. Confer. *Num.*XXI, 5, 6, 7. cum I. *Cor.* X, 9. dein *Pſ.*XCVII, 8. XLV, 7. CII, 26. CX, 1. cum *Hebr.* I, 6. & *ſeqq.* Pretereà *Eſai.*VI,10. cum *Joh.* XII, 40, 41. Deniq; *Eſai. XL,3.* cum *Matth.III,3. Marc.I,3. Luc.III,4.* Joh. I, 23.

14. Secundò Chriſtus non eſt DEI filius, eo modo, quo vel angeli, vel beati in altera vita, vel omnes fideles ita nuncupantur, ut *Job.I,6. Luc.*XX,36. *Job.I,12. I. Joh.*III,1. Sed excellentiori modo, uti patet *Hebr.I,5.* Eſt enim *unigenitus à Patre* Joh.1,14. *Filius unigenitus, qui eſt in ſinu Patriis, verſ.*18. *Filius DEI proprius* Rom. VIII, 32. Cùm itaque naturalis cujusque filius ejusdem cum Patre ſuo eſſentiæ ſit: indubitatò jam ſequitur, Filium DEI æquè Deum, ac Patrem ſuum eſſe. Confer *Col.* I. 15. *Hebr.*I, 3. Item *Phil.*II, 6. ubi benè Nyſſenus l. III. contra Eunom. At *forma Dei idem omninò eſt cum eſſentia.*

15.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

15. Tertiò paſſim Filio Dei ea attribuuntur, quæ Dei propria ſunt, ut *æternitas* Joh. I, 1. Hebr. XIII, 8. Apoc. I, 11. Confer. Prov. VIII, 22. & Mich. V, 2. *Omniſcientia* Col. II, 3. I. Cor. IV, 5. *Omnipotentia*, ſeu quæ ab illa pendet, *omnium rerum creatio* Joh. I. Col. 1, 16. Hebr. I, 2. *Conſervatio* Col. 1, 17. Hebr. 1, 3. *Mortuorum reſuſcitatio* Joh. V, 21.

16. Quartò quæ Filii Dei incarnati propria ſunt, de Deo abſolutè ita dicto, aut æquivalentibus titulis expreſſo enunciantur, ut *Act. XX*, 28. *I. Tim. III*, 16. *I. Joh. III*, 16. *I. Cor. II*, 8. *Act.* III, 15.

17. Quintò Filio Dei eundem cum Deo Patre cultum, nec alio modo, quàm Deo Patri, deferre jubemur *Ioh. V*, 23. Item *Hebr. I*, 6. ad Chriſtum accommodantur verba *Pſalm.* XCVII, 8. *Adorate eum omnes angeli Dei.* At hujusmodi cultus nõ niſi vero & æterno Deo debetur, ut patet *Eſai. XLII*, 8. *Exod.* XX, 3.

18. Sed & Spiritum Sanctum eſſe verum atque æternum Deum, probatur V. argumentis. Primùm in promtu ſunt loca, ubi idem quod de Spiritu Sancto, etiam de Deo dicitur; duobus ſcilicet diverſis effatis, ex quibus, velut ex majore & minore propoſitione, non poteſt non ſequi, Spiritum S. eſſe Deum, ut *Act. V*, 3, 4. *I. Cor. III*, 16. Confer. 1. Cor. XII, 6, 11.

19. Secundò ex collatione dictorum V. & N. T. naſcitur hoc argumentum: *Quicunque per Prophetas in V. T. locutus eſt, is eſt verus Deus: Sed Spiritus S. in V. T. per Prophetas locutus eſt. E.* Majorem confirmant ipſimet Prophetæ, & poſt illos Zacharias *Luc.* I, 70. Minorem vero Apoſtoli ſuppeditant, dum Sermones Prophetarum Spiritui S. apertè adſcribunt, idque vel *in genere*, ut II. Petr. I, 21. vel *in ſpecie*, quod attinet hunc aut illum V. T. locum, ut *Eſa. VI*, 9. *Pſalm.* XCV, 7. *Ierem.* XXXI, 33. *Pſalm.* XLI, 10. Quæ Spiritui Sancto expreſsè tribuuntur *Act. XXVIII*, 25. *Hebr. III*, 7. *cap. X*, 15. *Act. I*, 16.

20. Tertiò Divinitas Spiritûs S. probatur ex æterna ipſius à Deo

Patre.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

Patre proceſſione, Secundum illud *Joh.* XV, 26. Benè hic Paſchaſius *l. I. de Spirit. S. cap. XII. Quia Spiritus S. à Patre procedit, tria in eo privilegia Deitatis oſtendit, ideſt, ut in perſona ſuâ ſubſiſtere, & ſine ullo temporis ſpatio permanere, & omnino ex ſubſtantiâ Patris probetur exiſtere.*

21. Quartò Spiritui S. paſſim attribuuntur, quæ Dei propria ſunt, ut *immenſitas* Pſal. CXXXIX, 7. *Omniſcientia* I. Cor. II. 10. (vide in h. l. Theodoretum, Ambroſium l. II. de Spirit. S. cap. XII. & Paſchaſium l. II. de Spir. S. cap. 1.) ut & *dona ſive beneficia divina*, de quibus vide *I. Cor. XII*, 3. 11. & *cap. VI*, 11. *Tit. III*, 5. *Gal. V*, 22. Et aliæ *operationes divinæ*, ut *Pſ.* XXXIII, 6. *Act. XX*, 28.

22. Quintò argumentum etiam nobis præbet inſtitutio baptiſmi *Matth. XXVIII.* Quo Athanaſius & plerique veterum contra Arrianos & πνευματομάχους uſi fuerunt.

23. Coronidis loco addimus; adeò atrox eſſe, quod in Spiritum S. committitur, peccatum, ut *in æternum non remittatur* Matth. XII, 31. Marc. III, 29. Luc. XII, 10. Ex quo Ambroſius divinam Majeſtatem Spiritus S. concludit *l.* I. *de Spirit. S. cap.* III.

24. Quod poſtremum myſterii membrum attinet, nonnulli veterum pro unitate eſſentiæ Patris & Filii adducunt illud Chriſti *Joh. X*, 30. *Ego & Pater unum ſumus.* Et quod additur *verſ.* 38. *Pater in me eſt, & ego in Patre.* Confer Joh. XIV, 7, 8, 9. cap. XVI, 15. XVII, 10. Pro unitate eſſentiæ trium perſonarum inſtitutionem Baptiſmi urgent *Matth.* XXVIII. Recentiores addunt dictum I. Joh. V, 7. quod veteribus, poſt Cyprianum, neglectum, inque multis codicibus manuſcriptis omiſſum.

25. Nobis ſufficere videtur hoc unum argumentum: *Verus Deus eſt unus Deus: ſed Pater eſt verus Deus, Filius eſt verus Deus, Spiritus S. eſt verus Deus: Ergo Pater, Filius & Spiritus S. ſunt unus Deus.* Minor propoſitio non niſi ex revelatione conſtat,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

& modò ſcripturæ teſtimoniis prolixè confirmata eſt. Major verò eſt naturaliter nota, ſed tamen abſolutè, & ſummè neceſſaria; & inſuper in Scriptura S. paſſim repetita & inculcata, ut *Deut.* VI, 4. I. *Cor.* VIII, 6. Confer loca, quæ docent, *Deum eſſe ſolum, aut non eſſe Deum cum ipſo*, ut *Pſ.* LXXXIII, 17. II. *Reg.* XIX, 15, 19. *Deut.* XXXII, 39. *Job.* XVII, 3. Item *præter Deum, aut extra Deum non eſt alium, aut neminem Deo eſſe ſimilem*, ut *Deut.* IV, 35, 39. *Eſai.* XLV, 5. & *cap.* XLVI, 9. I. *Sam.* II, 2. II. *Sam.* VII, 22. & alibi paſſim: tùm etiam *Deum primum & noviſſimum eſſe Eſai.* XLI, 4. *cap.* XLIV, 6. *cap.* XLVIII, 12. *Apoc.* XXII, 13.

26. Ex hoc jam fluit omnimoda perſonarum æqualitas. Si ſunt unus Deus, id eſt, ſi unam numero eſſentiam divinam obtinent: unum quoque intellectum, unamque voluntatem, tum unam potentiam, denique eadem ſibi opera vendicant, ſicut de ſe & Patre ſuo dicit Servator *Joh.* V, 17. *Pater meus usq; adhuc operatur, & ego operor.* Confer *verſ.* 19. Et creatio tum *Filio* adſcribitur *Joh.* I. tum *Spiritui S. Job.* XXXIII, 4. *Pſ.* XXXIII, 6.

27. Ne tamen perſonæ confundantur, & in ſummâ earum æqualitate, nihil ipſis proprium relinquatur, diſtinguendum eſt cum Theologis inter opera Dei *ad extra*, & *ad intra*.

28. Opus *ad extra* eſt actio, quâ Deus aliquid extra ſe, ſive ſubſtantiam ſuam, producit; vel quæ non in Deo, ſed in creaturis terminatur: ut creatio, cujus terminus eſt hoc univerſum, quod omnino extra ſubſtantiam Dei eſt. De his trita eſt Theologorum regula: *Opera Trinitatis ad extra ſunt indiviſa.*

29. Opus *ad intra* eſt actio, quæ non in creaturis, ſed in ipſo Deo terminatur; ſive cui reſpondet terminus intra ipſam Dei ſubſtantiam productus, ut *æterna Filii Dei generatio, & proceſſio Spiritus S. à Patre & Filio.* Referunt huc etiam *incarnationem Filii Dei*, ſed cum diſtinctione: terminativè, ajunt, eſſe opus ad intra; ſed effectivè, opus ad extra.

31. Æ-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

31. Æterna Filii Dei generatio eſt, *quâ Filius de ſubſtantia* Dei *Patris ab æterno productus eſt; non mediante ſemine, quod eſt de ſubſtantia generantis deciſum* (per hoc enim non numero, ſed ſpecie eadem ſubſtantia in genitum transfunditur) *ſed immediatè, & ita, ut ipſa* Dei *generantis ſubſtantia Filio communicata fuerit.*

32. Veterum Patrum nonnulli, ut & Scholaſticorum plerique, Filium *per intellectum Dei* Patris productum eſſe, ideoq; *verbum* dici aſſeverant. Sed mera & incerta ipſorum conjectura eſt. Et quare non etiam Filius & Spiritus S filium producunt, cum eundem cum Deo Patre intellectum obtineant? Quod Suarez & alii reſpondent, Deum Patrem producere Filium, *per intellectum, prout eum à ſe ipſo, nec aliunde communicatum habet*; id eadem facilitate negatur, quâ aſſeritur.

33. Nobis tam inſcrutabilis eſſe videtur *potentia generandi* in Deo Patre, quàm eſt ipſa *generatio activa.* Concipitur hæc quidem in modum actionis; ſed, quoad rem, eſt ipſa *ſubſiſtentia* Dei Patris, *cum relatione ad Filium ſibi coexiſtentem*: ſicut & *generari à* Patre *Filium*, idem eſt, quod *Filium* Deo Patri *coexiſtere, tanquam qui eſſe ab ipſo ineffabili modo communicatum habeat.*

34. Proceſſio Spiritûs S. quæ aliàs ſpiratio dicitur, eſt, *qua Deus Pater & Filius ſimul de ſubſtantiâ ſuâ Spiritum* S. *ab æterno produxerunt.* Benè hîc Auguſtinus libr. III. contra Maximin: cap. XIV. *Diſtingvere inter illam generationem, & hanc proceſſionem, neſcio, non valeo, non ſufficio.*

35. Et *à* Patre *quidem Spiritum Sanctum procedere,* expreſsè aſſeritur *Joh.* XV, 26. ſed & ejus à Filio proceſſionē, quam Græci negaverunt Patres, nos cum Latinis inde probamus: (I) quia ſicut *à* Patre Joh. XIV, 26. ita ibid. cap. XV, 26 *mitti à Filio* dicitur; cujus miſſionis fundamentum eſt æterna miſſi à mittente proceſſio. (II) quia Spiritus S. *à Filio accepit, quæ hominibus denunciaret* Joh. XVI, 13, 14. (III) quia *Filii* æquè, ac Dei *Patris Spi-*

ritus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

ritus appellatur, *Act. XVI,7. Rom.* VIII, 9. *Gal.* IV, 6. *I. Petr. I*, 1.

36. Quod autem ſcholaſtici dicunt, Spiritum S. à Patre & Filio *per voluntatem*, & quidem *per amorem*, produci; mera & incerta ipſorum conjectura eſt, iisdemque difficultatibus premitur, quibus ſuperius tacta opinio de æternâ Filii Dei generatione. Certum interim eſt, per eandem numero potentiam à Patre Filioque Spiritum S. produci.

37. Actus modò explicati, & quæ in illis fundantur relationes, ſunt proprietates, quibus tres perſonæ divinæ tum conſtituuntur, tum dignoſcuntur. Unde *actus & notiones perſonales*, à Græcis συστατικαὶ τῶν προσώπων appellantur. Nempe Patris proprietas & notio eſt *paternitas*, ſive *generatio activa*; Filii, *filiatio*, ſive *generatio paſſiva*; Spiritûs S. *proceſſio*, ſive *Spiratio paſſiva*.

38. Hiſce accedunt duæ aliæ notiones, quæ nòn ſunt συστατικαὶ, ſed σημαντικαὶ, γνωριστικαὶ, ſcilicet ex parte Patris ἀγεννησία, ex parte Patris & Filii *Spiratio activa*.

40. Huic myſterio, ut verbo etiam ἀντίθεσιν tangamus, oppoſitæ olim fuere tres hæreſes, *Sabelliana*, *Photiniana*, *Ariana*. *SABELLIUS* ſeculo III. Patrem, λόγον, & Spiritum S. in unam perſonam confudit, à qua tamen Chriſtum, ut *merum hominem*, diſtinxit: at hunc quoque cum Deo Patre eundem putarunt προσμαχοι, *Praxeas* & *Noetus*, eoque *Patripaſſiani* dicti ſunt. Seculo IV. Divinitatem Chriſti impugnarunt *ARIUS* & *PHOTINUS*, ſed diſſimili opinione: hic, Chriſtum non prius, quàm ex Mariâ naſceretur; ille, ante ſecula ipſum extitiſſe, ſed ἐξ οὐκ ὄντων factum, neque adeò Deo Patri ὁμοούσιον eſſe, finxit. Photino prælusere, ab ortu Eccleſiæ, *Ebion*, *Cerinthus*, *Carpocrates*, *Artemon*, *Theodotus Byzantius*, & *Paulus Samoſatenus*: hodiè ipſum *Sociniani* ſequuntur.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

CAPUT IV.

DE

CREATIONE HUJUS UNIVERSI
& providentiâ Dei.

I.

Creationis hujus univerſi genuina ſedes eſt Geneſeos cap. primo. Quid autem ibi verbo ברא denotetur, inter Theologos atque interpretes non convenit. Plerique *productionem ex nihilo* interpretantur. Sed obſtant loca *Gen.* 1, 21, 27. *Exod.* XXXIV, 10. *Num.* XVI, 30. *Eſa.* XLV, 7. & LVII, 19. *Jerem.* XXXI, 22. Et alia plura.

2. Quod itaque fide tenemus, *cœlum & terram ex nihilo eſſe producta*; id non tam ex ſignificatione verbi ברא, quàm ex circumſtantiis & contextu verſ. I. adſtruitur. *In principio*, ait Moſes, i. e. cum nihil præter Deum, aut cum nondum ulla creatura exiſteret, *creavit Deus cœlum & terram.*

3. Ex nihilo autem hæc eſſe producta, dupliciter intelligi poteſt: (I.) ita, ut per *τὸ ex nihilo* excludatur ſubjectum ſive materia præexiſtens, ac prior tempore; puta, quòd nihil ante cœlum & terram extiterit, ex quo velut ex ſubjecto ſive materiâ produci potuiſſent. (II.) ut excludatur omne ſubjectum, ac quælibet materia, ſive præ, ſive coexiſtens, ſitque ſenſus, cœlum & terram ex nullo planè ſubjecto ac materia, ne quidem ex materiâ coexiſtente & comproductâ, ortum traxiſſe.

4. De priori expoſitione certum eſt, nihil ante cœlum & terram, ne ad momentum quidem, præextitiſſe, ex quo velut ex ſubjecto ſive materia procrearentur: id enim Moſaicum *τὸ in principio* ſonat. Poſteriori autem ſenſu Deus neque Cœlum neque terram, neque eorum formam; tam ipſa enim,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

quàm forma ipſorum à materiâ ſaltem coexiſtente & comproductâ dependent; ſed ſolam ipſorum materiam ex nihilo produxit. Dicitur tamen & ipſa ex nihilo produxiſſe, quia eodem momento, quo materiam ipſorum ex nihilo, ipſa quoque ſimul & formam ipſorum, quantumvis dependenter à materia, produxit.

5. Nonnullis placet, initiò non ipſum cœlum, & ipſam terram, ſed ipſorum materiam ſub formâ quadam imperfectâ productam fuiſſe, quam *rudem & indigeſtam molem* appellant. Quod ſi ita eſſet, Cœlum & terra ex præexiſtente materia fuiſſent producta. At pugnat hoc cum exordio Moſis, dicentis, *Deum in principio cœlum & terram creaſſe*, i. e. antequam aliud quid exiſteret, ſimul cum materiâ perfectam cœli & terræ formam, ac conſequenter ipſum cœlum ipſamque terram, eodem inſtanti produxiſſe.

6. At reliqua opificii ἑξαημέρȣ opera ex præexiſtente materiâ producta eſſe, contextus apud Moſem ubique docet. Ita *ex pulvere terræ Deus hominem formavit Gen.* II, 7. *herbas ex terrâ, & piſces ex aqua produxit Gen.* I, 11, 20. Nihilominus & hæc, ac reliqua, quæ in creatione cœperunt, creata à Deo rectè non minus quàm uſitatè dicimus.

7. Ut itaque omnibus ſex dierum operibus Hebraicum ברא & *creandi* verbum apud Latinos conveniat, non eo præcisè productionem ex nihilo ſignificari putandum eſt, ſed quamlibet *inuſitatam ac ſolius Dei propriam actionem, quæ ſupra vires naturalium agentium novum, eximium ac mirandum quid produxit.*

8. Excedunt autem Dei opera cauſarum naturalium vim dupliciter (I.) *Secundum ſubſtantiam ſuam*, ut Cœlum & terra: Seu materiam horum ex nihilo, ſeu cum materia formam ipſorum, & conſequenter ipſa ſimul, quantumvis dependenter

pendenter

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

pendenter à materiâ, eſſe producta conſideres: Nihil enim tale per cauſas naturales fieri poterat. (II.) *Quoad productionis modum*; ut herbæ, piſces, volucres, jumenta, homines. Homo ſanè hominem generat, ſed non eo modo, quô Deus, qui eum ex pulvere terræ formavit. Quin & herbæ hodieq; ex terra germinant; piſces, volucres ac jumenta ſe multiplicant, ſed non in momento, ut Deus, nec eo modo, quo Deus iſta produxit.

9. Quibus ita præmiſſis, dicimus, *creationem eſſe actionem Dei ad extra, quâ ſex dierum intervallo cœlum & terram, & quæcunque in iis ſunt, proximè ad hominum utilitatem, ſed ultimò ad ſui gloriam produxit.*

10. *Actionem Dei eſſe*, conſtat ex *Gen.* I, 1. & *Eſa.* XLIV, 24. Et quia eſt *actio ad extrâ*, opus toti Trinitati commune eſt; tribuitur autem *Patri* 1. Cor. VIII, 6. Eph. III, 9. Hebr. I, 2. *Filio* Joh. I, 3 Col. I, 16. *Spiritui S.* Iob. XXXIII, 4. Pſalm. XXXIII, 6.

11. Non autem tres perſonæ divinæ cauſæ ſociæ creationis fuere, ſicut plures lampades ſunt cauſæ illuminati à ſe conclavis: multò minus Pater per filium, ut cauſa Principalis per inſtrumentum ſive adminiſtrum, quæ erat Arianorum hæreſis; ſed omnes unâ & eadem numero potentiâ hoc univerſum condiderunt.

12. Porro *ſex dierum intervallo* omnia à Deo condita eſſe, ex Geneſi abunde conſtat: Sed quo die ſingula producta ſint, interpretes & Theologi, quod nonnulla quidem opera attinet, controvertunt.

13. Nos, præteritis aliorum diſſenſionibus, exiſtimamus, primo die conditum fuiſſe *Cœlum*, & *terram vacuam ſive inanem, & aquis undique inundatam*, denique *lucem*.

14. Et de *luce* quidem expreſsè textus affirmat. De *cœlo* autem, & *terrâ* aquis permiſtâ, probamus tripliciter. (I.) quia proxi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

proximè ante productæ lucis mentionem ſic exorſus Moſes: *In principio creavit Deus Cœlum & terram. Terra autem erat inanis & vacua* &c. (II.) Quia *lux* eſt proprietas quædam ſubſtantiæ cœleſtis condenſatæ. Si ergo Deus primâ die condenſavit ex parte ſubſtantiam Cœleſtem, ut *lucem* reciperet: conſequens eſt, *cœlum* jam tum extitiſſe. Neque obſtat, quòd Deus die ſecundâ dicitur *expanſum*, quod ſit *Cœlum*, condidiſſe. Nam ibi per *expanſum* & *cœlum* intelligitur *aer*, qui inter aquas marinas ſive fluviatiles, & inter nubium aquas, *expanſi* inſtar, interjacet. Eadem ſignificatione *volucres cœli*, i. e. aeris, dicuntur *Pſalm.* VIII, 8. (III.) Quia Deus ſecundâ die aquas inferiores ab aquis ſuperioribus, & tertiâ terram ab aquis ſeparavit; quæ ſeparatio fieri non potuiſſet, niſi *terra* & *aquæ* jam antè productæ extitiſſent.

15. Opera ſecundæ diei ſunt tum *productio expanſi*, i. e. aëris, tum *aquarum ſuperiorum ab inferioribus diſtinctio*. Vide textum v. 6, 7, 8.

16. Opera tertiæ diei numerantur (I.) *terræ exſiccatio* (II) *aquarum in unum locum congregatio*, (III.) *plantarum productio* vide. verſ. 11. 12, 13.

17. Opera quartæ diei habemus duo luminaria magna, ſcilicet *ſolem* & *lunam*, cum reliquis ſtellis. Vide verſ. 14, 15, 16.

18. Opera quintæ diei memorantur duo animantium genera; unum *aquatilium*, alterum *volatilium*. verſ. 20, 21.

19. Opera denique ſextæ diei ſunt animalia terreſtria, tùm *jumenta*, tum *reptilia*, denique *homo*. Vide verſ. 24, 25, 26.

20. Septimo die *quievit Deus ab omni opere ſuo, quod fecerat*, Gen. II, 2. non quòd nihil poſteà ageret; Sed quia poſt ſextum diem novas rerum ſpecies, quarum adhuc innumeræ ſunt poſſibiles, non produxit, neque producit hodiè, neque unquam producturus eſt.

21. Alias

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

21. Aliâs Deus, poſt exactum opificium ſex dierum, nec eſt, nec fuit otioſus, ſed quæ condiderat, jam inde à creatione conſervat, & ſi quæ corrumpantur, alia ejuſdem ſpeciei individua cum agentibus creatis, ut cauſa univerſalis cum particularibus, procreat. Noſtri Theologi *providentiam*, Græcè πρόνοιαν appellant.

22. Eſt autem *PROVIDENTIA DIVINA immutabile quoddam in Deo propoſitum perpetuò conſulendi huic univerſo & omnibus creaturis, præcipuè autem hominibus, ſecundum ſcientiam præſentium & futurorum præſcientiam.*

23. Hujuſmodi providentiam in Deo dari, non modò ex revelatione ſive ſcripturâ S. conſtat, cujus teſtimonia paulò poſt adducentur, ſed etiam ex lumine naturæ. Nempe quibus argumentis ex naturâ petitis probamus Deum eſſe, iisdem quoque ipſius providentiam adſtruimus: ut ita abſurdi & ſtolidi non minus quàm impii ſint illi, qui conceſſo aliquo Deo, ſive Numine, providentiam ipſius inficiari non verentur. Hinc Lactantius libr. de irâ Dei cap. IX. Contra Epicurum diſputans ait: *Cum igitur providentiam ſuſtulit, etiam Deum negavit eſſe. Cum autem Deum eſſe profeſſus eſt, & providentiam ſimul eſſe conceſſit. Alterum enim ſine altero nec eſſe prorſus nec intelligi poteſt.*

24. Formaliter quidem & in caſu recto providentia eſt actus voluntatis divinæ, ſcil. *propoſitum conſulendi*, à ſummâ Dei bonitate profectum: ſicut Servator, providentiam Dei diſcipulis ſuis perſuaſurus, *Dei bonitatem* commendat *Luc.* XI, 13. At nititur ac dirigitur actu intellectûs divini, nempe tum *ſcientiâ præſentium*, ſecundum illud Servatoris: *Novit enim Pater veſter Cœleſtis, Vos his omnibus indigere*, Math. VI, 32. Confer *Pſalm.* XXXIII, 13, 15. XXXVII, *19*, LXXII, I, 11. XCIV, 9. tum *futurorum præſcientiâ*. Act. II, 23. Pſalm. XXXVII, *13*. *Providen-*

videntia eſt, per quã futurum aliquid videtur, antequam factum ſit, ait auctor operis Rhetorici ad Herenn. libr. II.

25. Etſi autem Deus providentiâ ſuâ huic univerſo & omnibus creaturis conſulit: præcipuè tamen hominum curam gerit; reliquorum non æquè, niſi quatenus in gratiam & utilitatem hominum condita ſunt, ſecundum illud Apoſtoli *I, Cor. IX*, 9. *Num quid de bobus curat?* Quod Ambroſius ita exponit: *Non curat Deus de pecoribus propter hæc ipſa, ſed propter nos, quorum causâ creavit; & ideò de nobis præcipuè curat.*

26. Prout item boni vel mali ſunt homines, aut benè vel malè agunt: Ita & providentiam ſuam Deus diſpari gradu exercet. *Generali* curâ omnes homines, ut creaturas intellectu præditas, & rerum corporearum nobiliſſimas, conjungit, ſive bonitas ſive malitia animos occupaverit, ſecundum illud Chriſti *Matth.* V, 45. *Speciali* autem ratione, ac ſingulariter iis providet, qui inconcuſsâ animi fiduciâ ipſum timent, diligunt & colunt. Ita quod de generali Dei providentiâ dixerat David *Pſalm.* XXXIII, 13. *Videt omnes filios hominum*; id poſteà verſ. 18. peculiari ratione ad *probos* reſtringit. Idem facit Apoſtolus I. *Tim.* IV, 10.

27. Actus, per quos providentia Dei ſeſe exerit, uno & generali adminiſtrationis ſive gubernationis hujus univerſi nomine indigitari ſolent. In ſpecie autem multi & varii ſunt. (*I.*) *rerum creatarum conſervatio ac ſuſtentatio perpetua.* Vide Pſalm. CXIX, 91. Gen. VIII, 22. Hebr. I, 3. Col. I, 17. (II.) *generalis Dei cum agentibus creatis ad eorum actiones concurſus*, quem inculcari remur *Job.* X, 8. *Pſalm.* CXLVII, 5. *Act.* XVII, 25, 28. *Matth.* VI, 30. & alibi. (III.) *Specialis & extraordinaria illa operatio, quâ Deus contra aut præter ordinem naturæ hominibus conſulit.* Cujuſmodi exemplis ſcriptura abundat.

28. Aliquando Deus cauſarum naturalium effectum ad tempus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

tempus ſuſpendit vel inhibuit, ſicut ipſe teſtatur apud Proph. *Amos cap. IV, 7. Ego quoque in vobis prohibui imbrem, cum adhuc tres menſes ſupereſſent ad meſſem, & plui ſuper unam civitatem, & ſuper alteram non plui.* Et hoc eſt, quod comminatur Deus, *Deut.* XXVIII, 23. *Dabo cœlum æneum, & terram ferream.*

29. Nonnunquam cauſas ſecundas in actu nondum conſtitutas ad agendum applicuit: Sicut ad preces Eliæ, cum parva nubecula, ad magnitudinem volæ hominis, de mari adſcenderet, contiuuò larga pluvia decidit. I. Reg. XIIX, 44, 45.

30. Interdum creaturis vim agendi, non modò debilitatam, ſed penitus emortuam reſtituit, ut Abrahamo & Saræ generandi fœcunditatem. Denique Eccleſiam quandoque in mediis & graviſſimis perſecutionibus miraculosè defendit.

31. Prætereà ut mirè variant objecta; ita quoque in iis diverſa providentiæ ratio cernitur. Aliter quippe Deus cum homine ad bonas, quàm ad malas actiones concurrit. In bonas non tantùm phyſicè influit, ut cauſa univerſalis; ſed etiam in genere morum, ſive ut cauſa moralis, approbat eas & intendit, imò aut auctor gratiæ, ſingulari quoque gratiâ adjuvat. E contrario malos conatus reprimit, *diſſipat Conſilia gentium, irritas facit cogitationes populorum*, Pſalm. XXXIII. 10. Aut ſi quando talia permittit fieri, ex iis bonos elicit fines; nempe *ut iis, qui Deum diligunt, in bonum cooperentur* Rom. IIX, 28. Adhoc phyſicè tantùm in hujuſmodi mala, utq; cauſa univerſalis, influit, quatenus poſitivâ & reali actione committuntur: at in genere morum malitiam iis adhærentem deteſtatur, & ſuo tempore dignis ſuppliciis vindicandam ſibi reſervat.

32. Etſi autem una in Deo potentia, eaque infinita eſt: prout tamen diverſo modo ſeſe exſerit, in *ordinatam* & *abſolutam* (ſive extraordinariã) diſpeſcitur. Huic debentur ſpeciales illæ & extraordinariæ operationes, quas theſ. 28. & ſeq. memorabamus

mus;ut & hodieq; mirabilisEccleſiæ conſervatio,atque ab hoſtibus defenſio; & in quibuscunq; Dei potentia ad concurſum cauſarum ſecundarum non eſt alligata. Ab illa vero procedunt,quæDeus cum cauſis ſecundis ſecundum ordinem à ſe inſtitutum agit; & quæ non ageret,ſi cauſæ ſecundæ deficerent.

33. Sunt autem cauſarum ſecundarum aliæ *Naturales*, aliæ *Liberæ*. Naturales aut nunquã, aut certè non ſuâ culpâ deficiunt, ut *res inanimatæ*, *plantæ*, *beſtiæ*. In quibus manifeſtior ac minus impedita eſt Dei providentia: Sicut *terra,montes & aquæ locos & limites ſibi àDeo conſtitutos nunquam egrediuntur*, Pſalm. CIV, 6. 9, 10. *aluntur volucres cœli, & lilia creſcunt* Matth. VI, 26, 28.

34. At cauſæ liberæ, præſertim peccato corrupti homines, culpâ ſuâ ſæpiſſimè deficiũt; & ſic ordinatæDei potentiæ, perque eam ſeſe exſerenti providentiæ, obicẽ ponunt. Ita ordinis & inſtituti divini eſt, ut *labore victum quæramus* Gen. III, 9. Pſal. CXXVIII, 2. ſecus quàm *volucres cœli, quæ nec ſerunt, nec metunt, nec in horrea congregant*, Matth. VI, 26. neque tamen labori noſtro, ſed *Dei benedictioni confidamus*. Pſalm. CXLVI, 12. At quam multi hic deficiunt? Otio & deſidiâ alii; alii nimiâ ſui confidentiâ. Quibus, quid mirum, ſi ſubtrahat Deus benedictionem ſuam, ut deinceps fruſtraneus ſit omnis labor? ſicut docet David *Pſalm.* CXXVI, 1.

35. Deniq; finis providentiæ Dei *proximus* vel *ultimus* eſt. Finis proximus præcipue eſt hominum utilitas, eaque multiplex & varia: Sicut de probis dictitat Pſaltes, Deum ideò eorum curam gerere, *ut animas ipſorum à morte eruat*, pſalm. XXXIII, 19. Verũ quia multi hominũ Dei providentiæ contumaciter & præfractè reſiſtunt: hic ipſi non ſemper reſpondet finis: niſi quòd ex malis quoque bona, *pro diligentibus ſe*, Deus elicit.

36. Finis ultimus *Dei gloria & majeſtas* eſt, ſemperque obtinetur, quomodocunq; homines ſe gerant. Quod ſi enim Dei providentiâ ſibi bene fieri, & potenter ex malis ſe eripi patiantur: habent, cur Dei bonitatem & potentiam celebrent. Sin minus: Severa ipſorum caſtigatio Dei juſtitiam demonſtrat. Quanquam, quod obiter monemus, ipſa punitio non eſt actus aut finis providentiæ, ſed ex hominum culpâ oritur, & facit Deus puniendo *opus quaſi alienum*, ut eſt apud Hoſeam cap. XIII, 9.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

CAPUT. V.
DE
ANGELIS

I.

QUos Plato *Dæmones* & *genios*, Ariſtoteles *Subſtantias ſeparatas* dixit, illi in ſcripturâ Sacrâ *Angeli* appellantur, nomine hoc ab officio ducto, ſcilicet ἀπὸ τοῦ ἀγγέλλειν, quod eſt *nunciare*, quia ſunt *Dei nuncii.* Hebræis dicuntur מלאכים, i. e. *miſſi* ſive *legati*: quia *ſunt Spiritus adminiſtratorii, miſſi in miniſterium propter eos, qui hæredes erunt ſalutis. Hebr. I, 14.*

2. Dari autem angelos, etſi argumentis ex naturâ petitis, quæ Thomas lib. II. contra Gent. Cap. XLVI. & ſeqq. perſequitur, reddi quodammodo probabile, evidenter tamen demonſtrari non poteſt: Secus quàm comparatum de Deo eſt, quem ſua cujusvis conſpectui expoſita opera, ſatis manifeſtant.

3. Et quanquam ſanè Ethnici Dæmones ſive genios eſſe ſibi quoque perſuaſiſſimum habuerunt, meminitque eorum Heſiodus libro I. operum, & luculentiùs Plato in Timæo & Sympoſio: adeò tamen abſurdè de his geniis ſenſerunt, (Plato enim generatione propagatos, & ipſis ſtellis ac orbibus cœleſtibus, quaſi Diis, inferiores putabat) ut non tam ductu luminis naturæ, quàm ab antiquiſſimis magis ſic edocti videãtur, qui geniorum revelationes & apparitiones jactabant, præſtigiisque fidem ſibi conciliabant. Vide Cyprian. libr. de idolor. vanitat. & Lactant. lib. II. cap. XV.

4. Miſſis itaque ex ratione petitis argumentis, fidem noſtram cumprimis ſcripturæ præſidio fulcimus, quæ angelos

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

dari expreſsè docet, & toties ingeminat Pſalm. CIV, 5. XCI, 11. Hebr. I, 4. & ſeq. Matth. IV, 11. cap. XXV, 31.

5. Neq; à ſe ipſis eſſe angelos, ſed ut alia omnia, *à Deo conditos*, docemur Pſalm. CXLVIII, 4, 5. Col. I, 16. Neq; alibi ſcriptura aliter de ipſis, quàm ut *de creaturis* & *miniſtris Dei* loquitur.

6. Quando autem creati ſint, nusquam ſcriptura meminit: & ſunt ea de re diſſentientes veterum conjecturæ. Aliquandiu ante viſibilem mundum eos extitiſſe, ſtatuunt multi Græcorum *Patrum*, & cum his nonnulli è Latinis. Verùm obſtat, quòd ſcriptura Dei æternitatem prædicans, ipſum *ante conditum mundum extitiſſe* docet, ut Pſalm. XC, 2. Prov. VIII, 23. & ſeq. Eph. I, 4. Cui conſequens eſt, nihil ante viſibilem mundum, præter æternum Deum, extitiſſe. Eodem ergo ſenſu capimus Moſaicum *τὸ in principio*, & quod huc alludit, exordium evangelii S. Johannis.

7. Alii & Latinorum quidem plurimi, ſed quidam quoque è Græcis, angelos cum viſibili mundo productos, probabilius conjectant. Quin & hoc addunt nonnulli, Moſen non planè tacuiſſe Angelorum originem, ſed vel per *lucem* eos intellexiſſe, quod non improbat Auguſtinus *l. XI. de civ. D. cap. IX.* & *lib. de Gen. ad lit. cap. V.* vel ſub *cœlo* comprehendiſſe, quod cenſet Origenes *homil. I. in Gen.* At quæ nos cogit ratio, ut hic à propriâ vocum ſignificatione deflectamus?

8. Conjecturæ ſi ſit locus, Moſes propterea rerum tantùm viſibilium creationem enarrare inſtituit, quò hominibus, & præſertim ſuo tempore Judæis, qui à ſenſuum judicio maximè pendebant, tota hiſtoria cognitu credituque facilior exiſteret. Vide Cyrillum *l. III. contra Julian.* Chryſoſtomum *hom. II. in Gen.* Baſilium *libr. de Spirit. S. cap. XVI.*

9. Sunt autem *Angeli ſubſtantiæ Spirituales completæ finitæ* (ſive creatæ) ſi per prædicata merè eſſentialia & intrinſeca

defi-

definiantur. Sin verò cauſæ externæ creationis, & perfectiones ſive dotes in creatione ipſis inditæ, unà exprimantur, emergit hæc definitio: *Angeli ſunt ſubſtantiæ Spirituales completæ, in magnâ intellectus & voluntatis perfectione conditæ, tùm ad miniſterium gloriamq; Dei, tùm ad propriam ipſorum beatitudinem.*

10. *Spiritus* eſſe angelos, & ſic *ſubſtantias Spirituales*, paſſim ſcriptura tradit, ut Pſalm CIV, 5. Matth. VIII, 16. Luc. XXIV, 39. Hebr. I, 14. Eph. VI, 12.

11. Notandum autem, quod præſens attinet, vocabulum *Spiritus* accipi dupliciter: (I) prout denotat ſubſtantiam corpoream, ſed ſubtiliorem, & tenuiorem: quomodo ventus, & aer, & tenuiſſimæ partes ſanguinis in corpore humano, Spiritus ſunt. (II.) prout naturæ viventi & intelligenti tribuitur: quomodo opponitur corpori, & ſignificat *ſubſtantiam incorpoream*, ſive quæ ex materiâ & formâ non conſtat: Sicut ait ſervator Luc. XXIV, 39. *Spiritus carnem & oſſa non habet.*

12. Angelos poſteriori ſignificatione *Spiritus* eſſe, apud Chriſtianos hodiè indubitatum eſt: neque abs re quidem. Nuſquam enim in ſcriptura *ſubſtantia vivens intelligensque* nomine *Spiritus*, niſi in oppoſitione ad *corpus*, appellatur, ut *Deus* Joh. IV, 24. 1. Joh. V, 7. & *anima rationalis* Eccleſ. XII, 7. Act. VII, 59. Explicitius autem ſub eo nomine corpori opponitur *Iacob.* II, 26. Cum itaque & angelis tam *Spiritus* nomen locis ſuprà citatis, quàm alibi *vita intellectusque* tribuatur (dicuntur enim *laudare Deum* Eſ. VI, 3. *adorare* Hebr. 1, 6. *juſſa ejus exequi*, Pſalm. CIII, 20.) Colligimus, & ipſos non niſi in oppoſitione ad corpus, Spiritus appellari, prout ſcilicet *ſubſtantiæ intelligentes incorporeæ* ſunt. Imò ſatis manifeſtè iſta oppoſitio exprimitur Eph. VI, 12.

13. Nihilominus haud pauci antiquiſſimorum Patrum, nominatim Juſtinus Martyr, Tertullianus, Origenes, Ambro-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

ſius, Auguſtinus & alii exiſtimarunt, angelos in ſcripturâ *Spiritus* appellari, non quòd materiæ & molis corporeæ prorſus ſint expertes, ſed quòd non conſtent ex tam craſsâ & palpabili, ex qua corpora viſibilia; verùm ex aliâ ſubtiliſſimâ & tenuiſſimâ materiâ: & proinde corpora quædam ipſis *ſubtilia* & *ætherea* tribuerunt.

14. Quanquam nec horum omnium eadem fuit ſententia. Tertullianus non tantum angelos, ſed ipſum etiam Deum vero & propriè dicto corpore putatur circumſcripſiſſe. Quæ ſi fuit ejus opinio, de quo adhuc dubitari poteſt, abſurdior eſt, quàm ut refutatione egeat: Siquidem infinitæ Dei perfectioni & ſimplicitati maximè repugnat. Alii verò Deum ἀσώματον eſſe rati, Angelos tamen corporeos cenſuerunt, ut ita hos à Deo diſtinguerent. Vide Origenem *lib. I. de Princip. cap.* VI. & Cyrillum Alexandrinum *l. IX. in Johann.*

15. Habent itaque angeli cum *Deo & animabus rationalibus* id commune, quòd *ſpirituales ſubſtantiæ* ſunt: Sed ab his diſtinguuntur, quòd *Spiritus completi*; à Deo, quòd *finiti & creati* ſunt. Et quia Spiritus, prout corpori opponitur, in ſuo formali conceptu vitam & intellectum importat: de angelorum intellectu & cognitione verbo quoque agendum eſt.

16. Intellectus angelorum in actu primo, quoad rem, ipſa eorum ſubſtantia eſt, ut contra Thomam rectè ſtatuunt Scotus, Durandus, & Nominales omnes: at qui inde procedunt actus ſecundi, ſicut reverà ſunt producti ſive eliciti, ita ab eſſentia realiter diſtinguuntur; Idque vel inde manifeſtum evadit, quòd angelorum cognitio augeri poteſt.

17. Triplex autem in angelis conſideranda venit cognitio. Una *naturalis*, ſive à lumine naturæ profecta, quæ angelis bonis & malis communis eſt. Altera *ſupernaturalis*, ſive à lumine gratiæ orta, quæ omnibus quoque angelis ante nonnullo-

rum

rum lapſum competiit: at poſt lapſum mali eâ carent, & bo-ni ad gloriam evecti illâ non indigent. Poſtrema *à lumine gloriæ* promanat, quæ angelorum bonorum propria eſt.

18. De naturali angelorum notitia duo apud omnes certa & in confeſſo ſunt: (I) *angelos omnem creaturam, tum immaterialem, tum materialem* (h. e. præter ſuam, & aliorum ſibi coexiſtentium angelorum eſſentiam, cœlum & terram & quæcunque in iis continentur) *actu claro & intuitivo contemplari.* (II.) *Deum quoque ex operibus ab ipſo conditis, & ſic à poſteriori tantùm, & abſtractivè*, (ſicut homines *Rom. I.* Sed tamen perfectiori modo, quàm homines) *cognitum habere.*

19. Duo è contrario difficultatem non planè nullam habent (I.) *an angeli occultas hominum cogitationes inſpiciant* (II) *an futura quoque contingentia aliquo modo cognoſcant.* Ad utrumq; adhibitâ deſtinctione reſpondendum eſt.

20. Et primùm quidem diſtinguendum inter cognitionem *certam* & *conjecturalem.* Certa utique, & clara, atque infallibilis cogitationum cordis inſpectio in nullum intellectum creatum cadit, quandoquidem ipſæ cogitationes per ſe abditæ ſunt, nec extrinſecus ulla certa apparent indicia, quæ manifeſtare eas poſſint. Proinde earum ſcrutationem ſcriptura ſoli Deo, & infinitæ ipſius ſcientiæ adſcribit, ut *I. Reg. VIII*, 39. *II. Paralip.* VI, 30. *Pſalm.* XLIV, 23. *Ierem.* XVII, 9, 10. *Act. I.* 24. *Rom.* VIII, 27.

21. Quando autem hominibus interdum de cogitatis animi alterius conjectandi copia, vel ex mutationibus vultûs, vel ex conſpicuis operationibus, vel ex aliis externis indiciis datur: angelis quoque hujuſmodi *conjecturalis* cognitio denegari nequit: Sed eam incertam, & cum formidine oppoſiti conjunctam eſſe, nemo non videt.

22. Deinde quod alterum attinet, tria futurorum ſunt genera

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

genera. Primùm eorum eſt, *quæ à cauſis determinatis, & ſecundum ordinem naturæ eodem ſemper modo habentibus oriuntur*, utCœleſtium orbium converſiones, ſolis ac lunæ defectiones, & hujus generis alia. De quibus quidem certò præſciunt angeli, ſi ordinatæ Dei potentiæ ſit locus, ea non aliter eſſe eventura: interim ignorant liberum Dei, de ſervando aut immutando ordine naturæ, decretum. Ita non erat præcognitum naturaliter ulli angelo, ſolem ad preces Ioſuæ ſtaturum eſſe, aut in ſignum, quod Ezechiæ Regi prolongatus eſſet terminus vitæ, retrò actum iri, quia ordini naturæ ea non congruunt. *Ioſ. X*, 12. *Eſa. XXXVIII*, 8.

23. Alterum genus eorum eſt, *quæ ex cauſis quidem naturalibus, ſed variæ mutationi obnoxiis; aut ex cauſis per accidens, & caſu concurrentibus nunc ita, nunc aliter eveniunt*, ut cometæ, terræ motus, pluviæ, ſiccitates, tempeſtates ac venti, itemque morbi, & elementorum ac corporum affectiones. Quorum notitiam aliquam lumine naturæ ſibi poſſunt comparare dæmones, ſed non niſi *probabilem* ſive *conjecturalem*, quâ ſæpe numero falluntur. Nunc enim Deus per cauſas naturales eventura mala ad piorum preces avertit: Nunc quæ eventura non erant, præter ordinem repente immittit. Sicut caſtigandis populis olim in V. T. immiſit, quæ per cauſas merè naturales illis nunquam eveniſſent.

24. Poſtremi generis futura ſunt, *quæ tota ex liberâ voluntate pendent & geruntur*, ut bella, ſeditiones, publici & privati mores, & id genus alia. Quæ non minus naturale angelorum lumen, & quemvis intellectum creatum ſubterfugiunt, quam occultæ hominum cogitationes. Unde eorum quoque præſcientiam ſcriptura ſoli Deo acceptam refert. *Eſa.* XLI, 22. & *cap.* XLIV, 7. Niſi quod ex habitu corporum, locorum ingenio, cœli temperie & ejusmodi aliis dæmones, quâ ſunt ſagacitate, conjecturam de futuris noſtris actioni-

bus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

bus,ſed non niſi incertiſſimam, penè dixerim, utplurimum fallacem, capiunt.

25. Sic habet ſe naturalis angelorum notitia, quæ hodieque bonis & malis eſt communis. Aliâs ante lapſum, & in ipſa creatione, omnibus angelis, ſingulari Dei gratiâ, inditum erat peculiare quoddam lumen, naturali lumine illuſtrius; non quo vel occultas hominum cogitationes inſpicerent, vel futura & à cauſis liberis profectura præſcirent; ſed cujus ductu cumprimis Deũ perfectiori modo, v. g. *trinum in perſonis*, & ſi quid aliud ejus lumini naturæ impervium eſt, cognoſcerent.

26. Quanquam decretum incarnationis Filii Dei, & alia libero Dei conſilio olim futura myſteria, non niſi ſucceſſu temporis, ſive peculiari ſive hominibus factâ revelatione, angelis innotuiſſe videntur, ſicut colligitur ex *I. Petr. I*, 12. *Eph.* III, 10. Confer, quæ tradit Paulus I. *Cor.* II, 11.

27. Atque iſthæc quidem illuſtriori lumine innixa Angelorum notitia ſapientiaque conjuncta erat cum pari ſanctitate & juſtitia, ad diligendum ſupra omnia Deum, honorandum obſequiis, & ab omni peccato abſtinendum: ſic tamen, ut ab amore & obſequiis Dei deficere, ac peccato ſe obſtringere potuerint.

28. In tanta tum intellectus tum voluntatis perfectione omnes angelos à Deo conditos fuiſſe, haud obſcurè docet ſcriptura. Et de bonis quidem, atq; in bono confirmatis, nullum eſt dubium. De malis verò ſcriptum eſt, *eos in veritate non ſtetiſſe*, Joh. VIII, 48. & *originem ſuam non ſervaſſe*, ep. Jud. v. 6. Ex quibus colligitur, tum ſapientiores, tum meliores initiò creatos fuiſſe, quàm nunc exiſtunt.

29. Deniq; in definitione, præter cauſam efficientem creationis, tum officium angelorum exprimitur, tum finis. Officium eſt, *miniſtrare Deo, & juſſa ipſius exequi* Pſ. CIII, 20. Finis autem ex parte Dei, *gloria ipſius*; ex parte angelorum, *propria ipſorum beatitudo*.

30. Et

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

30. Et hæc hactenus de angelorum eſſentia. In proprietatum numero primas ſibi vendicat *ſimplicitas*. Ipſe quidem *angelus in concreto*, prout ſuppoſitum & perſona eſt, non adeò prorſus eſt ſimplex, quin ex *eſſentia* & *ſubſiſtentia* componatur: ſiquidem in creaturis hæc duo realiter diſtingui, argumento eſt myſterium incarnationis Filii Dei: niſi realis eorum diſtinctio ad ſubſtantias corporeas reſtringatur. At *eſſentia cujusvis angeli*, abſolutè & ſecundum ſe conſiderata, nullo realis compoſitionis genere compoſita, ſed pariter ac Dei eſſentia, abſolutè ſimplex eſt: differt tamen ab illâ, quòd accidentibus ſubſtat, & proinde licet non *ex aliquibus* componatur, tamen *cum aliquibus* compoſita eſt.

31. Ex ſimplicitate angelorum fluit eorum *immortalitas*. Nonnulli antiquiſſimorum Patrum aſſeruerunt, angelos non eſſe immortales *naturâ & ex ſeipſis*, ſed *gratiâ & voluntate conditoris*, ut Irenæus, Cyrillus Alexandrinus, Arnobius, Ambroſius, Damaſcenus & alii. Videntur autem id gratiæ Dei acceptum ferre, quòd cum poſſit Deus deſtruere, æternum tamen ſupereſſe eos velit. Fixum interim manet, in tantum eſſe immortales naturâ, in quantum in ſe ipſis principium corruptionis non habeant.

32. Simplicitati quoq; angelorum conſequens eſt, *non poſſe eos loco corporali circumſcribi*. Quia tamen eſſentiam finitam habent: non ubiq;, ſed ſemper in certo & definito πȣ͂ exiſtunt, de quo in aliud πȣ͂ celerrimè ſe recipiunt. Quibus explicandis immorari, non magnum operæ pretium fuerit.

33. Deniq; angelorum potentia, ad edendas externas operationes, tantò major eſt humanâ, quantò ipſorum eſſentia præſtantior & perfectior eſt: ſiquidem inter eſſentiam & potentiam ſemper eſt proportio. Quanta autem ſit iſta potentia, quibus limitibus circumſcripta, & per quas ſeſe exſerat operationes, alii tam prolixè diduxerunt, ut ulteriori explicatione non ſit opus. Et hæc de angelis in genere. De bonis & malis ſeorſum nunc agere, prohibemur chartæ penuriâ.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

CAPUT. VI.

DE

CREATIONE HOMINIS AD IMAGINEM DEI.

1.

DEUS poſt alias res hominem quoq; conditurus, referente Moſe, *ἀνθρωποπαθῶς* & deliberantis in ſpeciem dixit *Gen. I, 26. Faciamus hominem ad imaginem noſtram ſecundum ſimilitudinem noſtram.* Et ſtatim ita conditũm eſſe hominem, docent verba, quæ ibidem ſequuntur, v. 27.

2. *Imago tunc eſt, cum de aliquo exprimitur*, ait Auguſtinus lib. imperf. de Geneſ. ad liter. cap. XVI. Id eſt, imago eſt forma ad alterius ſimilitudinem expreſſa, quæ Græcis *εἰκὼν ἔκτυπος* dicitur. Quanquam & alterum, ad cujus ſimilitudinem expreſſa eſt hujuſmodi forma, imaginis aliquando, ſed *πρωτοτύπου ἢ ἀρχετύπου* nomine venit: quod aliàs uſu pervagato *exemplar*, Philoſophis etiam *cauſa exemplaris* dicitur, & definiente Thoma qv. II. de verit. art. 1. *eſt forma, quam imitatur effectus, ex intentione agentis, determinantis ſibi finem.*

3. Nunc verba DEI apud Moſen, ſaltem quoad illam particulam, בצלמנו *in imagine noſtrâ*, poſſunt accipi dupliciter: [I.] ita, ut præfixum ב ſignificet cauſam exemplarem, tanquam dicat Deus: *Faciamus hominem ad exemplar noſtrum*, i. e. intueamur nos velut archetypon & exemplar, & hominem nobis quodammodo ſimilem producamus. Quomodo imago Dei, ad quam conditus eſt primus homo, quoad rem eſt ipſe Deus, ſecundum eas perfectiones, quibus Deo conformatus eſt homo. [II.] ut præfix. ב ſignificet terminum creationis, & effectum cauſæ exemplaris, qui eſt homo; quaſi dictum ſit: *Faciamus hominem, imaginem noſtram, ſive qui ſit i-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

mago *noſtri, veluti ſui exemplaris*. Vide Thomam part. 1. qu. XCIII. art. V.

4. Etſi priorem ſenſum Cornelius à Lapide, Thomas l. c. poſteriorem præfert: nobis tamen, utrum eligas, non videtur permagni referre: cum neuter verbis repugnans, & alter alteri, vi mutuæ relationis, ſit ἀντίστροφος. Nempe ſi homo eſt imago Dei ἔκτυπος, Deus viciſſim hominis imago ἀρχέτυπος & exemplaris eſt: & vice versâ.

5. Et ſanè eſſe, & rectè dici hominem, *Dei imaginem*, licet veterum nonnulli negaverint, ſatis tamen comprobat Paulus I. Cor. XI, 7. *Vir non debet velare caput, cùm imago ſit & gloria Dei*. Auguſtinus *libr. VII. de Trin. cap. VI.* Controverſiam ſic dirimit: hominem *ita eſſe imaginem* (Dei) *ut ad imaginèm ſit*; quaſi hac poſteriore locutione peculiare quid, & id quidem denotetur; *non æquari parilitate, ſed quadam ſimilitudine accedere*. Eoque ipſo hominem à Filio Dei diſtinguit, ut *qui imago ſit æqualis ſuo* Patri.

6. Neque verò archetypon & exemplar creandi hominis erat una & certa perſona divina, ſicut ex nonnullorum veterum ſententia *Filius DEI*, ſed idem qui conditor ipſius, *Deus Trinunus*, ſive *tota SS. Trinitas*. Id quod ipſe Deus verbo & ſuffixo plurali ſubinnuit: *Faciamus hominem ad imaginem noſtram*. Ubi ita B. Lutherus: *Omnes tres perſonæ hic concurrunt, & dicunt, FACIAMUS*. Et Auguſtinus loc. cit: *Ideò AD IMAGINEM NOSTRAM, ut imago Trinitatis eſſet homo*. Ut nihilominus unus ſecundum eſſentiam Deus & conditor ejus & archetypon eſſe intelligatur, ſtatim addit Moſes in ſingulari numero: *Et creavit Deus hominem ad imaginem ſuam*. Confer Irenæum *in præf. libr. IV.* Auguſtinum *libr. XVI. de civ. Dei cap. VI.* Theodoretum *quæſt. XIX. in Gen.*

7. Quâ ſui parte homo ad Dei imaginem ſit conditus,

non

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

non determinatum à Moſe eſt. Conjectu autem cuivis facile eſt, cum homo ex pluribus non conſtet, quàm ex corpore & animâ, aut animæ, aut corpori, aut utrique imaginem Dei competiiſſe. Quâ de re ſententiarum divortia apud Veteres reperire eſt.

8. *Audæus* quidam, unde *Audiani* dicti ſunt, qui ipſum ſectabantur, imaginem Dei humano corpore circumſcripſit. Ita refert de ipſo Epiphanius *hæreſ. LXX.* & hac motum ratione addit, quòd poſt illud Dei decretum: *Faciamus hominem ad imaginem noſtram*; Moſes quaſi indicaturus, cujuſmodi & in qua hominis parte eſſet imago Dei, dixerit: *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ:* quaſi homo ea parte & ratione, quâ de limo terræ eſt formatus, imaginem Dei gerat. Verum neque quicquam hic textus probat, & obſtat diſſimillima humani corporis, Deique, qui incorporeus eſt, eſſentia. Unde pluribus illud commentum refellit Epiphanius *hæreſ. XC.* & Theodoretus *l. IV. hiſt. cap. IX.* & *libr. de hæreſ. cap. X.*

9. Ex hac Audæi opinione craſſus *Anthropomorphitarum* fluxit error. Sive enim ipſe ſtatuerit Audæus, *Deum eſſe corporeum*, quod cenſet Theodoretus; ſive ab hoc errore, quem ipſi non audet tribuere Epiphanius, manſerit intactus: ii tamen, qui virum ſecuti ſunt, cum didiciſſent ex ipſo, hominem ſecundum corpus imaginem Dei gerere; huic ſententiæ conſequens putârunt, *Deum ipſum corporeum eſſe.* Vide Socratem *l. V. cap. VII.* & Sozomenum *lib. VIII. cap. 2.*

10. Alii ne Deum corporeum facerent, Filium Dei formam corporis humani, tanquam exuturum denuò, induiſſe in actu creationis, & ad hujus inſtar primi hominis corpus formâſſe commenti ſunt, quos inter eſt Eugubinus, in Coſmopœia. At quomodo imago Dei diceretur, quæ non Deo,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

ſed extrinſecus aſſumtæ, & mox deponendæ iterum, aſſimilata fuit formæ?

11. Tertullianus, quantumvis & ipſe Deum ſtatuiſſe corporeum exiſtimatur, non tamen hominem *ad Dei imaginem*, quod mireris, ſed cenſuit conditum *ad imaginem Chriſti, in carne olim venturi* libr. de reſurr. cap. VI. & l. contra Prax. cap. XII. Verùm intelligitur homo eſſe factus [I] *ad imaginem Dei jam tùm exiſtentis ac viventis*: at in carne non erat Chriſtus, cum primus homo crearetur. [II] *ad imaginem Dei, quà Deus, non quà homo.* [III] *ad imaginem plurium, ac totius Trinitatis*, adeoque non præcisè ad imaginem Chriſti.

12. Res tandem ipſa loquitur, imaginem Dei primò & principaliter ac propriè non niſi in ea hominis parte reſediſſe, quâ vitam Deo ſimillimam vivebat. Cujuſmodi *anima* eſt; non *corpus*, niſi quatenus corpus animæ, ut inſtrumentum, inſervit.

13. Formalis ratio imaginis Dei in homine jam condito erat *conformitas ejusdem cum Deo archetypo & exemplari ſuo.* Cum autem perfectiones, quibus primus homo Deo conformis ſive conſimilis fuit, ſint duûm generum; & quædã ad *ſubſtantiam* ejus pertinuerint, ut animæ immortalitas, intellectus, voluntas, libertas arbitrii, dominium in beſtias; quædam *qualitates* fuerint ſuperadditæ, ut ſapientia, juſtitia, ſanctitas; non immeritò quæritur, utrum in hiſce, an in illis, an in utroque perfectionum genere imago Dei poſita fuerit.

14. Plerique veterum imaginis Dei appellatione utriuſque generis perfectiones comprehendunt. Unde cum in verbis Dei apud Moſen conjunguntur iſta duo: *ad imaginem noſtram, & ſecundum ſimilitudinem noſtram*; hoc nonnulli putant intereſſe, quòd *imago* ſubſtantiæ ſit, *ſimilitudo* qualitatum. Veteribus hîc conſentit Bellarminus *libr. de gratiâ prim. hom.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

hom. cap. 2. *Imago*, ait, *ad naturam intelligentiæ & voluntatis*, *ſimilitudo ad ſapientiam & juſtitiam refertur.*

15. Verùm huic diſcrimini uſus repugnat. (I) Paſſim alterum vocabulum ſine altero de eadem re uſurpatur, ut *Gen.* *V*, 1. & *Cap. VIII*, 6. Ibi *ad ſimilitudinem Dei* ſeorſum, hic *ad imaginem Dei* dicitur. (II) Moſes executionem decreti Dei de condendo homine memorans, alterum tantùm expreſſit, alterum omiſit, non facturus, ſi in verbis decreti, ubi conjunguntur, diverſum quid ſignificarent. Probabilius itaque eſt, illa duo ſubſtantiva eadem ſignificatione, ſed ἐμφατικῶς & *per hendiadyn* conjungi, ut alterum per alterum, & poſterius quidem adjectivè exponatur, hunc in ſenſum: *Ad imaginem noſtram non quocunque modo, ſed pro capacitate humanæ naturæ nobis quàm* SIMILIMAM. Vide in h. l. Cornel. à Lap. Emanuelem Sa, Franciſcum Vatablum, & Glaſſium l. III. Gramm. Sacr. tract. I. Can. VI.

16. Non interim fundamento deſtituuntur, qui partem imaginis Dei etiam illas perfectiones conſtituunt, quæ ad ſubſtantiam hominis pertinent: [I] *Quia reverà in illis quoque magna conſiſtit hominis cum Deo conformitas:* dum ſicut Deus totam eſſentiam, ita homo animam habet materiæ expertem atque immortalem; dum æque intellectu, voluntate ac libero pollet arbitrio: dum denique omnibus animalibus præſtat, iiſque ſicut Deus univerſo, dominatur. [II] *Quia homo etiam poſt lapſum ad imaginem Dei factus dicitur Gen. IX*, 6. *Iacob. III*, 9. At nullas poſt lapſum perfectiones, quibus Deo aſſimiletur, niſi jam memoratas obtinet.

17. Nihilominùs alibi in ſcriptura Sacra, pariter atque à Theologis noſtris, *imago Dei* ſtrictiore ſignificatione dicitur, quæ per lapſum primorum parentum amiſſa eſt, & ad quam hodiè ſpirituali regeneratione renovamur. Quomodo non

N in illis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

in illis perfectionibus, quæ ad ſubſtantiam hominis pertinent, ſed in qualitatibus ſuperadditis, ut in *ſapientia*, *juſtitiâ* & *ſanctitate* poſita erat. Et ita vocem capit D. Paulus *Col* III, 10. *Eph.* IV, 24.

18. Nempe pro diverſâ intentione & ſcopo ſcripturarum diverſa imaginis Dei ratio eſt. Semel poteſt conſiderari, ut conformitas hominis cum Deo, *reſpectu certi effectus ac finis*: prout nimirum comparata erat ad ſpiritualem, juſtam ac innocentem vitam, æternæ beatitudinis aſſequendæ causâ. Et iterum; prout eſt conformitas hominis cum Deo, *in quantalibet latitudine ſua*, præciſis effectu & fine jam dictis. Hoc poſteriori modo imago Dei accipitur locis citatis *Gen.* IX, 6. *Iacob.* III, 7. ratione præcipuè ductâ à conformitate ſubſtantiæ hominis cum Deo. Illo priori, apud Paulum loc. cit. & hîc à nobis ſumitur, nec niſi in qualitatibus ſive viribus ſuperadditis conſiſtit, quibus homo ad ſpiritualem, juſtam ac innocentem vitam erat accinctus.

19. Sicut autem ad juſtè & innocenter vivendum tres animæ facultates concurrunt: *intellectus*, cujus eſt dictare, quid ſit agendum; *voluntas*, cujus eſt eligere; denique *appetitus*, cujus eſt affectibus ſecundum dictamen intellectus moderari: ita quælibet facultas ſuâ indigebat perfectione ac virtute, ut dignè officium ſuum obiret. Ac proinde ſicut *εὐεξία ex ſingulis corporis virtutibus conſtat*, ut eſt apud Ariſt. *l. II. Eud. cap. I.* aut ſicut apud ipſum *juſtitia univerſalis* omnes virtutes complectitur: ita *imago Dei* ex ſingulis perfectionibus ſive viribus ad vitam juſtam ſanctamq; neceſſariis fuit conflata: unde & ipſa *juſtitia originalis* appellatur.

20. Ex parte *intellectus* nihil aliud eſſe potuit imago Divina, quam *Spiritualis quædam lux & facultas*, ad congnoſcendam Dei eſſentiam & voluntatem, quantum ad juſtè ſancteque viven-

ven-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

vendum erat ſatis. Certè quod Paulus ait *Col.* III, 10. *Induite novum hominem, qui renovatur in agnitionem congruentem imagini ejus, qui ipſum condidit*: vix poteſt aliter intelligi, quàm de agnitione practica Dei & voluntatis ejus, quæ & quanta ad Spiritualem innocentemque vitam eſt neceſſaria. Ad hujuſmodi a. agnitionẽ renovamur, dum per verbum & operationem Spiritus S. nobis lux quædam Spiritualis ad illam habendam conceditur. Ergo in tali luce ſpirituali, & huic innixâ cognitione poſita fuit imago Dei, ex parte intellectûs.

21. Ex quo non ſequitur, primos parentes in virtute imaginis Dei habuiſſe *perfectam rerum omnium naturalium ſcientiam*: Sine hac enim juſtè & ſanctè innocenterque vivi poterat. Quid? quòd & Eva ignoravit, ſerpentem loqui non poſſe, niſi à ſuperiore quodam agente ad loquelam elevaretur; & Adamus, per eſum pomi, aliquem Deo ſimilem effici non poſſe. Quôd autem ille, *adductis ad ſe omnibus beſtiis agri & volatilibus cœli*, non ignoravit, quodnam illis nomen eſſet imponendum, *Gen. II*, 19. id arguit in ipſo vel ſpecialem Dei revelationem, vel in creatione inditum à Deo Hebræi ſermonis habitum, quem, probabile eſt, poſteros Adami uſu ſibi fuiſſe comparaturos, ſi vel maxime imaginem Dei ad ſe propagatam habuiſſent.

22. Egregiam interim rerum naturalium notitiam primo parenti inditam fuiſſe, piè ſuſpicamur, ſed non ità perfectam, quin progreſſu temporis proficiendo eam auxiſſet. Et ſi eadem in actu primo ad poſteros tranſiiſſet; non tamen, niſi maturâ ratione, potuiſſet ad uſum transferri.

23. Ex parte *voluntatis* imago Dei erat conſtans & perpetua inclinatio ad Deum ſupra omnia perfectè diligendum, præſtandamque tum legi naturæ ſive decalogo, tum injuncto uni præcepto poſitivo perfectam, & omnibus partibus abſolutam obedientiam. S. Paulus *Juſtitiam & ſanctitatem veri-*

tatis,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

tatis, i. e. veram & minimè fucatam appellat, ad eam ut renovemur, nos admonens his verbis: *Induite novum hominem, qui ſecundum Deum conditus eſt, in juſtitiâ & ſanctitate veritatis.* Eph. IV, 24.

24. Denique ex parte appetitûs erat quædam promtitudo abſtinendi ab affectibus inordinatis, nihilque, niſi ex legis Dei & rectæ rationis dictamine, vel concupiſcendi vel averſandi. Patet id à poſteriori. *Ambos, Adamum & uxorem ejus, fuiſſe nudos, nec erubuiſſe*, legimus *Gen.* II, 25. Quæ cauſa? niſi quòd aberat inordinata concupiſcentia, ob exactam appetitûs cum lege Dei rectaque ratione harmoniam. Poſt lapſum autem *cognoverunt ſe eſſe nudos*, Gen. III, 7. Id eſt, diſſoluto jam appetitûs cum lege Dei rectaque ratione concentu, cognoverunt, pudendam ſibi & tegendam eſſe nuditatem, ob animadverſas in eâ titillationes & libidines.

25. Magnum quoque excellentiæ primi hominis argumentum erat, quod Deus ipſi dominium in omnia animantia, volatilia, terreſtria, & aquatilia conceſſerat. *Et dominentur*, ait, *in piſces maris, & in volatile cœli, & in omnem terram, & in omne reptile reptans ſuper terram.* Gen. I, 26. Cujus dominii inſigne erat ſpecimen, quòd animalia nominibus ſuis deſignanda ad Adamum congregarentur *Gen.* II, 16. Unde nonnulli in eâ prærogativâ ipſam *imaginem Dei* collocârunt, ut Chryſoſtomus *h. l.* & Theodoretus *in Geneſ. q. XX.*

26. At *imaginem Dei* ab excellentia dominii in beſtias toto cœlo diverſam fuiſſe, vel inde manifeſtum evadit, quòd illa ad felicitatem homini æternam acquirendam erat comparata; hæc verò ad vitam naturalem his in terris jucundè & feliciter degendam pertinebat. Exiſtimamus verò, dominium iſtud neceſſarium imaginis divinæ conſequens fuiſſe. Primùm enim homini debebatur ob *perfectiones ſubſtantiæ*, quòd ſolus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

ſolus inter animalia intellectu, voluntate ac libero arbitrio polleret. Deinde ob *qualitates ſuperadditas*, quòd ſapientiâ intellectûs, voluntatis ſanctitate, & appetitûs cum rectâ ratione conformitate magis magisque Deo aſſimilaretur.

27. Manſit homini poſt lapſum imperium in beſtias, ſicut docet Moſes Gen. IX, 2. quia adhuc ſolus inter animalia intellectu, voluntate & libero arbitrio eſt præditus. At neutiquàm tam perfectum hodiè, quàm in ſtatu integritatis eſt, ſed imminutum valdè atque impeditum, teſte experientiâ: ſive ante lapſum perfectior fuerit animantium natura, & ad obſequendum pronior, quod non fit veroſimile: ſive homo per lapſum ſcientiâ & prudentiâ regendi animalia, ac in officio continendi exciderit; ſive denique Deus peculiarem providentiam & inſtinctum ſubtraxerit, quo animantium phantaſiam & corpora ad nutum, voluntatem, & imperium hominis flecteret.

28. Atque hæc hactenus de perfectionibus animæ, &, quod illas conſequitur, hominis in beſtias dominio. De corpore ſic habendum eſt, etſi nullo modo quoad ſubſtantiam, tamen quoad quædam attributa ad Dei ſimilitudinem fuiſſe conditum, ut ita non videantur errare, qui & in illo, ſaltem ſecundariò, imaginem Dei, aut ſi mavis, quædam imaginis divinæ veſtigia collocaverint.

29. Primùm enim ante lapſum vel *ſolâ immortalitate* Deo conſimile erat corpus. Poſt lapſum verò *mors ſtipendium peccati* Rom. VI, 23. ſecundum Dei comminationem Gen. II, 17. *Quocunque enim die commederis ex eo* (ligno ſcientiæ boni & mali) *morte morieris.* Deinde in ſtatu integritatis corpus animæ, veluti *inſtrumentum* parti principaliori, non niſi *ad ſanctitatis & Juſtitiæ opera ſerviebat,* cùm

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

nunc poſt lapſum pravis affectibus ad quævis peccata abripiatur. Ab hoc turpi & profano ad illibatum ſanctumque corporis uſum nos identidem avocat Paulus *Rom.* VI, 12. & *Cap.* XII, 1. Denique *quia tale eſt* (corpus) *ut ad contemplandum Cœlum ſit aptius, magis in hoc ad imagmem & ſimilitudinem Dei, quàm cætera corpora animalium, factum jure videri poteſt*; verba ſunt Auguſtini *libr. XXCIII. quæſt. qv. XXI.* Adde, quòd per membra corporis humani, ſtylo ſcripturæ, Dei attributa repræſentantur, ut per *oculos* providentia, per *brachium* potentia. Vide Glaſſ. Phil. Sacr. lib. I. tract. III, ſect. IV.

CAPUT. VI.
DE
PECCATO.

I.

POſtquam primus homo per lapſum excidit ſtatu integritatis, ſive imagine Dei; ſe & poſteros in ſtatum contrarium peccati præcipites dedit, de quo nunc quoque paucis agendum.

2. Quid peccati nomine intelligatur, non diu diſpiciendum eſt. Omnes enim, eâ voce auditâ, concipimus *aliquid, quod eſt contra legem*, vel ipſâ ſic dictante naturâ. Quanquam quid poſcat à nobis lex, quidqve adeò contra legem, & peccatum ſit, rectiùs ſcriptura docet, quàm natura.

3 Duo itaque peccatum formaliter importat: (I.) *reſpectum ad legem.* Sicut enim juſti rectique regula lex eſt: ita viciſſim *per legem eſt agnitio peccati* Rom. III, 20. Neq; magis ſine legè eſſe aut concipi peccatum poteſt, quàm homo ſine animâ. (II.) *difformitatem aut diſcrepantiam à lege*: ſicut è contrario juſtum rectumque eſt, quicquid *conformitatem*

cum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

cum lege habet. Utrumque conceptum una vox ἀνομία ſuggerit *I. Joh. III*, 4. ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία. Vox enim illa componitur ex νόμος, quod eſt *lex*, & ex [α] στερητικῇ, quæ *diſcrepantiam à lege* notat.

3. Cùm autem *lex* variè dividatur, & alia quidem, ratione legislatoris, *divina* ſit, alia *humana*; divina rurſus, vi objecti, *moralis*, vel *forenſis*, vel *ceremonialis*: nobis id quidem certum eſt, quamlibet ἀνομίαν, aut *cujuslibet legis transgresſionem*, peccatum eſſe, dummodo lex ipſa non ſit illegitima; ſed inæquali attribuendi modo, veluti nomen κοινὸν ἀφ' ἑνὸς ἢ πρὸς ἕν. Primò enim & principaliter peccatum dicitur reſpectu *legis moralis*, quæ maximam ſui partem *cordibus hominum eſt inſcripta* Rom. II, 5. omnesque populos ubique locorum & ſemper obligat. Unde quod contra legem moralem eſt, abſolutè peccatum eſt, à quocunque mortalium, & quandocunque fiat.

4. Secundariò tamen, & per quandam à lege morali dependentiam, peccatum quoque eſt, quicquid contra alias Dei leges, imò & contra humanas delinquitur. Habent enim & illæ vim obligandi in conſcientiâ: non verò tàm ex ſeipſis, quàm ex rigore legis moralis, dictantis, Deo & legitimo magiſtratui, & cuivis præpoſitæ poteſtati, juſta aut ſaltem non illicita præcipienti, obſequendum eſſe: cum interim neque omnes ubique locorum, ſed eos tantùm, quibus præſcriptæ ſunt; neque illos quidem ſemper, ſed quamdiu vult lagislator, obligent: ſicut leges Dei Ceremoniales & forenſes tantùm Judæos, neque diutius, quàm ad Meſſiæ promiſſi adventum, ſtrinxerunt.

5. Notant autem hîc Theologi, peccatum apud S. Johannem ſumi *abſtractivè*, neque abs re quidem: vox enim abſtracta eſt ἀνομία, per quam definitur. Aliâs frequentius *concretivè* accipitur, prout eſt ἀνομοῦν, *aliquid à lege diſcre-*

pans, veluti adulterium, homicidium, concupiſcentia. Quâ notione, uti in logicis ſummuliſtæ docent, quaſi ex formali & materiali componitur.

6. Formale, ſive id, quo aliquid eſt peccatum, ἀνομία eſt, neque adeò à peccato abſtractivè ſumto diſtinguitur: quandoquidem abſtracta formam ſignificant, ſine mentione materiæ. Ἀνομία verò privatio eſt. Hoc enim ipſo aliquid ἄνομον eſſe, ſive *à lege diſcrepare* intelligimus, quòd caret rectitudine, ſecundum legem ineſſe vel adeſſe debitâ. Itaque *in carentia hujusmodi rectitudinis*, adeoque *in privatione* formaliter peccatum conſiſtit.

7. Materiale, ſive id, quod peccatum denominatur, ſecundum ductum luminis naturæ, non niſi *voluntarium quid* eſt, idque vel *factum*, quod lege prohibetur, vel facti lege mandati *omiſſio*. At ſtylo ſcripturæ, & ſecundum revelationem, vox *peccati* etiam ad *habitus* & *qualitates* itemque ad *motus indeliberatos*, quatenus legi quidem repugnant, extenditur.

8. Neceſſarium peccati conſequens eſt *reatus*, non ille in *actu ſecundo*, qui ad pœnam actu infligendam datur: hic enim per remiſſionem peccati auferri poteſt: ſed *reatus in actu primo*, qui in eo conſiſtit, qvòd peccatum, etiamſi remiſſum, pœnâ tamen dignum eſt & manet.

9. Diſtinguitur autem peccatum in *Originale*, ſive quod inſtar habitus omnibus ab ortu ineſt; & *actuale*, ſive quod actu peccantium, adeoque perſonale quid eſt.

10. Etſi peccati originalis nusquam meminit ſcriptura S. pluribus tamẽ in locis haud obſcurè omnes homines, ſine diſcrimine ætatum, infantes æquè atque adultos, peccati & hinc mortis reos declarat. *Per unum hominem*, inquit Paulus, *peccatum in mundum introivit, ac per peccatum mors: & ita*

in o-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

in omnes homines mors pervaſit, in quo omnes peccârunt. En! poſteris Adami proprium quoddam peccatum tribuit, ne ob alienum rei mortis cenſeantur. Utrum autem peccatum actuale & voluntarium intelligatur, an id, quod originale dicimns, inter nos & hæreticos κρινόμενον eſt.

11. Verbùm ἁμαρτάνειν, *peccare*, frequentiùs de peccato actuali accipitur, & hinc Pelagiani locum ſic exponunt, poſteros omnes imitari Adamum in peccato, dum æquè cupiditatibus obſequantur. Verùm præterquam quòd *verba apud Hebræos aliquando non tàm actionẽ quàm habitum ſignificant*, docente B. Chemnitio: inſuper ſoli adulti deliberatis prævaricationibꝰ imitari Adamũ poterant: cum interim univerſale effatum ſit Apoſtoli, *omnes peccâſſe*, infantes æquè atque adultos: idque liquet à poſteriori; quia *mors in omnes pervaſit*, l. c. & *in Adamo omnes morimur* I. Cor. XV, 22. Certè ſi reatus mortis eſt communis, non poteſt non etiam commune eſſe peccatum, quandoquidem *ſtipendium peccati mors eſt*. Rom. VI, 23. Hinc quod l. c. verſ. 14. dicitur: *Regnavit autim mors ab Adam usque ad Moſen, in eos etiam, qui non peccaverant ad ſimilitudinem transgresſionis Adami*; Auguſtinus, & cum ipſo moderni Theologi de infantibus accipiunt, *qui nondum ſuâ & propriâ voluntate, ſicut Adamus, peccaverunt.* libr. 1. de peccat. merit: cap. XI.

12. Neque ut locus Pauli de peccato actuali accipiatur, ſinit particula ἐφ᾽ ᾧ, *in quo omnes peccarunt.* Interprete enim Auguſtino, quem noſtri Theologi ſequntur, refertur ad Adamum veluti ad auctorem peccati, & communem parentem generis humani, non obſtantibus verbis interjectis; ut ſenſus ſit: *dum Adam peccaret, in ipſo velut in primo & communi ſuo parente omnes peccâſſe.* At nondum actu erant reliqui, cùm ipſe peccaret: quomodo ergo in ipſo potuerunt actu

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

peccare? Quin potius jus adipiſcendæ juſtitiæ originalis in illo parente ſuo perdidiſſe, & ſic neceſſitatem naſcendi cum peccato incurriſſe intelliguntur, antequàm nati erant. Confer *Eph.* II, 3. *Gen.* VIII, 21. *Pſalm.* LI, 7. *Hiob.* XIV, 4.

13. Formale, uti cujusque, ita & peccati originis ἀνομία eſt; niſi quòd, ut ab actualibus peccatis diſtingvatur, hîc reſtringitur ad ſpecialem rationem. Plerique eam *Carentiâ juſtitiæ originalis* circumſcribunt. Sicut autem juſtitia originalis poteſt conſiderari dupliciter: tum *ſecundum ſe*, prout erat donum eâ lege primo homini conceſſum, ut ad poſteros propagaretur; tum *quoad obſequium legi præſtandum*: ita & carentia ejus pugnat cum lege Dei bifariàm: tùm quòd ipſa ſecundum ſe abeſt; tùm quòd illâ ademtâ, homo hodiè eſt ineptus, impotens, inidoneus, ad juſtè atque ita vivendum, ſicut lex jubet.

14. Summa legis eſt: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde &c. & proximum tuum, ſicut teipſum.* Luc. X, 27. Matth. XXII, 37. Hi autem actus eo rigore, quo præcipiuntur, præſtari non poterant, niſi per juſtitiam primo homini concreatam: Hanc itaque, dum illos omnibus præcipit, in omnibus lex requirat neceſſum eſt. Neque adeò refert, formale peccati *carentiam juſtitiæ originalis eſſe* dicas, an verò *ineptitudinem*, ſive ἀδυναμίαν, *ad juſtè atque ex legis præſcripto vivendum*: niſi quòd prius eſt, carere juſtitiâ originali, quàm ineptum eſſe ad legis obſequium; quoniam illud, ſaltem noſtro concipiendi modo, hujus cauſa eſt.

15. Cùm verò juſtitia originalis non fuerit una ſimplex perfectio, neque unam tantùm, ſed omnes animæ facultates, intellectũ luce ſpirituali, voluntatẽ ſanctitate, appetitum harmoniâ cum rectâ ratione ornaverit: vi oppoſitionis peccatum originis totidem perfectionum privatio, & earun-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

earundem animæ facultatum corruptio ſit neceſſum eſt. Proinde ex parte intellectûs eſt privatio lucis ſpiritualis, & quæ illam ſequitur, rerum ſpiritualium ignorantia, obquam Paulus ipſum hominem *tenebras* appellat Eph. V, 4. itemque *obtenebratum mente* Eph. IV, 18. *qui nec percipiat, nec cognoſcere poſſit, quæ ſunt Spiritus Dei* I. Cor. II, 14. Ex parte voluntatis eſt averſio à Deo, & ad præſtandam ipſius legi perfectam obedientiam ineptitudo: Denique in appetitu, rebellio adverſus rectam rationem. Ad utriusque corruptionem reſpicit S. Paulus, cùm hominem dicit *in peccatis mortuum* Eph. II, 1. & 5. *abalienatum à vitâ Dei* Eph. IV, 14. *qui bonum nec velle nec perficere poſſit* Phil. II, 13. Confer. *Gen.* VI, 5. & *cap.* VIII. 21.

16. Ex quibus jam ſatis intelligitur, peccatum originis non eſſe leve aliquod malum, ſed *intimam, peſſimam, profundiſſimam (inſtar cujusdam abyſſi) inſcrutabilem, & ineffabilem corruptionem totius naturæ*; Verba ſunt Formulæ Concordiæ. Nihil enim magis corruptum & malum eſt, quàm cui vis agendi erepta eſt, ſicut tum maximè malus & corruptus eſt oculus, cum viſu caret, cujus gratiâ eſt factus. Ita nulla major homini poterat contingere corruptio, quàm quòd orbatus juſtitiâ originali, & inde ad omnes actus ſpirituales ineptus eſt factus. Et quia hoc malum ad omnes animæ facultates extenditur, hinc rectè totum hominem, totam animam ejus, totum intellectum, totam voluntatem, totum denique appetitum, malum & corruptum dixeris.

17. Materiale, ſive id, quod peccatum originis concretivè denominatur, eſt concupiſcentia. In ſe quidem non mala eſt concupiſcentia, ut quæ in ſtatu integritatis fuit: at qualis poſt lapſum omnibus ineſt, inordinata, ſive ἄνομος, adeoque peccatum eſt, ſecundum illud Pauli Rom. VII, 7.

Con-

Concupiſcentiam non noviſſem eſſe peccatum, niſi lex dixiſſet: Non concupiſces.

18. Sumitur autem apud Paulum concupiscentia ferè pro *actu ſecundo*, prout eſt ipſa inordinata cupiditas: aliâs quia peccatum originis habituale quid eſt, definitur per concupiſcentiam *in actu primo*, prout eſt *vis appetendi ſive concupiſcendi, contra præſcriptum legis.* Neque reſtringitur ad appetitū ſenſitivum, ut ſæpe aliâs, ſed omnibus animæ facultatibus tribuitur, ut idem ſit, quod cujusque potentiæ ponitas & inclinatio ad actus inordinatos, ſicut in intellectu ponitas ad malas cogitationes & perverſa de rebus ſpiritualib9 judicia, in voluntate inclinatio ad malum, in appetitu proclivitas ad rebellandum rationi. Hinc Apologeta Auguſtanæ Confeſſionis *Concupiſcentiam* interpretatur, *quæ non ſolum voluptates corporis, ſed etiam ſapientiam & juſtitiam carnalem quærit.*

19. Neque diverſi à nobis eunt, qui *concupiſcentiam* ad formale peccati originis referunt, ne ſolâ privatione circumſcribant. Intelligunt enim, per formale peccati, totam ipſius eſſentiam, quam Metaphyſici *formam totius* appellant: quâ ratione non minùs concupiſcentia ad formalem rationem peccati, quàm ad rationem hominis corpus pertinet. Hinc Auguſtana Confeſſio *naſci cum peccato* per id explanat, quod eſt, *ſine metu Dei, ſine fiduciâ erga Deum, & cum concupiſcentiâ naſci.* Aliâs etiam *formale* accipitur, prout contrà diſtinguitur à materiali: Metaphyſici *formam partis* nuncupant: & hac ſignificatione nos formale originalis peccati ἀνομίαν, concupiſcentiam materiale diximus: ſicut anima ſola forma hominis, ſed corpus ejus materia eſt.

20. §. Nunc cum de cauſa efficiente peccati originis quæritur, ſicut materiale & formale (concupiſcentia ſc. &

ἀνο-

ἀνομία) eò differunt, quòd illud aliquid poſitivi eſt, hoc in privatione conſiſtit; ita non iiſdem cauſis imputantur. *Concupiſcentia*, præciſâ ἀνομία, *Cauſam Phyſicam*, & eandem habet, quam ipſa hominis natura; in Adamo quidem, Deum creantem; in poſteris, parentes generantes, concurrente Deo, ut cauſâ univerſali. Verùm quæ concupiscentiæ poſt lapſum adhæreſcit ἀνομία, nullo modo Deo imputatur, neque in cauſam efficientem & phyſicam, ſed ut Auguſtinus *libr. XII, de Civ. D. cap. VII.* loquitur, in *deficientem* refertur; remotè quidem in *Diabolũ* ſub ſpecie ſerpentis latentem; propiùs in *primos parentes*; quorum ille ſvadendo eſum pomi vetiti, hi comedendo, *à lege defecerunt*.

20. Inter primos parentes hoc intereſt, quòd Eva immediatè à ſerpente ſeducta, prior peccavit, & maritum quoque ad peccandum induxit, ſecundum illud Pauli *I. Tim. II, 14. Et Adam* (à ſerpente) *non fuit ſeductus, ſed mulier ſeducta* (Adamo quoque) *Cauſa transgreſſionis fuit.* Adam verò poſteris, veluti communis ipſorum parens, non voluntariæ transgreſſionis, ſed ut cum peccato naſcerentur, cauſa & auctor extitit, ſiquidem ita intelligimus locum *Rom. V, 12.*

21. Dum autem *deficientis*, vix aliam, quàm *Cauſæ moralis* cauſalitatem, quanquam nonniſi per indirectam intentionem, ſuſtinuere. Neque enim ignorârunt, ſi inobedientes forent uni legi poſitivæ, ſervatu tam facili, paratam ſibi à Deo eſſe pœnam graviſſimam. Et quanquam Deus ſolùm *neceſſitatem moriendi*, & quidem ipſorum perſonæ, non factâ poſterorum mentione, comminatur: cum illâ tamen conjunctam fore jacturam juſtitiæ originalis, & utramque ſuâ culpâ ad poſteros, ut horũ malis ſua pœna augeretur, tranſituram, per ſapientiam ſibi concreatam benè potuerunt ſcire: aut licet determinatè non nôrint, quia tamen malum

non unum, in vicem pœnæ, ſaltem confuſè metuendum habuerunt, eo ipſo indirectè cenſentur intendiſſe, quicquid inde incommodi & mali in ſe & poſteros redundavit: id quod ſatis eſt, ut in modum cauſæ moralis jacturam juſtitiæ originalis ſibi & poſteris attraxiſſe dicantur.

22. Diſtinguendum tamen hîc eſt inter id, quod eſt *actu*, & quod eſt *potentiâ*. Adamus ſtatim atque inobediens Deo erat factus, ſibi *actu* juſtitiam originalem perdidit; at poſteris non niſi *potentiâ*, quæ ſucceſſu temporis demum in actum fuit deducta, cum alia propior cauſa interveniſſet. Non prius enim peccatum actu habuerunt poſteri, quàm actu exiſterent: At potentiâ tantùm extiterunt, cum Adamus peccaret, ut qui *adhuc in lumbis ipſius erant*. Hebr. VII, 10. Ergo & potentiâ tantùm in ipſo peccatum incurrerunt, prout ſuprà interpretati ſumus Paulum dicentem, ἐφ᾽ ᾧ πάντες ἥμαρτον Rom. V, 12. Cùm verò naſcuntur, tum quisque actu habet peccatum, nec ideò tamen habet, quia ultimò in Adamum natales ſuos refert: alioquin & Chriſtus cum peccato eſſet natus; ſed quia *carnali modo* progenitus eſt.

23. Vocatur autē *Carnalis generatio*, quæ conjuncta eſt cum inordinatâ generantiū concupiſcentiâ, ſive *quæ eſt ex libidine carnis, & libidine viri*, ut effertur Joh. I, 13. Poſtquam itaq; voluntariâ protoplaſtorum inobedientiâ jus habendæ juſtitiæ originalis poſteris eſt ereptum, carnali generatione in ipſos contagium peccati actu transfunditur: ut ita hæc cauſa proxima propagati peccati, illa tantùm remota habeatur. Hinc de carnali generatione illud ſervatoris Joh. III. *Quod ex carne natum eſt, caro eſt.* Neque abludunt loca *Rom. V*, 12. *Pſalm. LI*, 7. *Hiob. XIV*, 14.

24. Cæterùm etſi id quidem ex dictis certum eſt, defectum juſtitiæ originalis Adamo ad culpam imputari, ſive

in

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

in ipſo, ſive in poſteris ſpectetur: nondum tamen liquet, quo jure idem imputari poſteris poſſit, ut & in ipſis peccati ac culpæ rationem habeat. Neque enim ad formalem rationem peccati ſufficit, *eſſe contra legem*, niſi id ipſum, quod eſt contra legem, habenti vel agenti *propriâ voluntate & culpâ* competat. Hinc Auguſtinus *libr. de verâ relig.* C. *XIV.* *Atque adeò peccatum voluntarium eſt, ut nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium.* Etſi itaque defectus juſtitiæ originalis reſpectu Adami eſt indirectè ſaltem voluntarius, ex voluntariâ transgreſſione legis: poſteris tamen citra ipſorum voluntatem & culpam adhæreſcit.

25. Nonnulli, ut defectum juſtitiæ originalis etiam in poſteris voluntarium eſſe tueantur, confugiunt ad *voluntatem interpretativam*: quaſi illa primorum parentum voluntas; tam directa, quâ legem poſitivam transgreſſi ſunt, quàm indirecta, quâ juſtitiam originalẽ perdiderunt; *interpretativè* & *per fictionem juris*, fuerit filiorum, nepotum, & poſterorum omnium, carnali modo ex ipſis propagandorum, voluntas.

26. Nobis ad fidem fulciendã ſatis eſt, eam concupiſcentiam & ἀνομίαν, quam ab utero habemus, in ſcriptura *peccatum* appellari, ut *Rom. VII, 7.* & quidem hujusmodi peccatum, ob quod *rei mortis*, & *naturâ ſimus filii iræ*, *Rom. V, 12.* & *Eph. II, 3.* licet quomodo ſit peccatum, cum non voluntate noſtrâ nobis inſit, & quare ergò ad culpam imputetur; tacente, ſcripturâ, explicare non poſſimus. Vt enim aliis in myſteriis, ita & hîc *captivanda eſt ratio ſub obſequium fidei.* Nihilominus ut hæreticorum retundatur pervicacia, in promtu eſt alius modus, quo defectus juſtitiæ originalis, etiam reſpectu poſterorum, ſaltem indirectè voluntarius eſſe cenſeatur; quem ut hîc expromamus, neque inſtituti ratio patitur, neque chartæ penuria.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

25. De *ſubjecto* non eſt, quod multùm commentemur. Ex prolatis enim, & cumprimis ex loco *Rom. V*, *12.* abunde conſtat, ſubjectum peccati originis præter Adamum eſſe *mundum*, i. e. *omnes homines*, ſine diſcrimine ſexûs & ætatum; alterum enim per alterum explicat Paulus; quanquam non *omnes ſimpliciter*, ſed ut Chriſtus excipiatur, *Omnes carnali modo progenitos* intelligit, ut ex ipſo illo ejus capite liquet. Et quamvis contagium peccati totam hominis naturam, prout ex *corpore* & *animâ* conſtat, pervaſerit: præcipuè tamen in *animâ*, & ejus facultatibus hæret; perinde ut de juſtitia originali comparatum eſt. Qui terminis Metaphyſicis delectantur, *hominem* ſubjectum QVOD, *animam* cum facultatibus ſubjectum QVO appellitant.

26. De *reatu*, qui peccatum neceſſariò conſequitur, ſecundum Auguſtanam Confesſionem, *docent noſtræ Eccleſiæ, quòd hic morbus ſive vitium originis verè ſit peccatum, damnans & afferens nunc quoque æternam mortem, his qui non renaſcuntur per baptiſmum & Spiritum Sanctum.* Confer Eph. II, *3.* Rom. V, 12, & 18. 1. Cor. XV, *22.*

27. Ex quibus ita traditis definitio peccati originis, ſed prout abſtractivè vel concretivè accipitur, alia atque alia, nullâ difficultate conficitur. Nempe ſi *abſtractivè* ſumatur; eſt *Carentia juſtitiæ originalis* (i. e. *omnium animæ facultatum ineptitudo, ad faciendum, quod lex jubet, & omittendum, quod vetat*) *ex Adamo in omnes poſteros carnali generatione propagata.* Sin *concretivè*; *eſt concupiſcentia* (i. e. *omnium animæ facultatum pronitas*) *ad faciendum, quod lex vetat, & omittendum, quod jubet, carnali generatione ex Adamo in omnes poſteros propagata.* Supprimimus mentionem *reatûs*, quia neceſſarium conſequens, & ſic poſterius quid eſt. Aliâs in gratiam rudiorum, nihil vetat, quin ille quoque ſubnectatur his

verbis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

verbis: *obnoxios faciens iræ Dei, & reos æternæ damnationis, niſi per Chriſtum fiat remiſſio.*

18. Nunc de peccatis quoque *actualibus*, quorum omnium radix eſt peccatum originis, & variis eorum diſtinctionibus commentari per erat opus: at quia illa de peccato originis tractatio ſolitum paginarum numerum non complevit modò, ſed etiam exceſſit, & aliâs nobis properandum eſt; eam tàm neceſſariam doctrinam alii occaſioni reſervamus.

CAPUT. VII.

DE CHRISTO

Sectio I.

DE

PERSONA CHRISTI.

I.

POſtquam actum fuit de peccato, agendum nunc eſt de Chriſto, qui nos à peccato redemit; & ideò ſalutis noſtræ *fundamentum*, 1. Cor. III, 2. *ac fidei dux & conſummator* eſt. Hebr. XII, 2.

2. Dividitur autem ille locus de Chriſto in duas ſectiones, quarum prior, in qua jam occupabimur, eſt de perſona Chriſti; poſterior erit de ejus officio.

3. Perſona Chriſti eſt ipſe Chriſtus, quatenus eſt *ſuppoſitum* (ὑφιςάμενον) *intellectu præditum*; & ſic ex duobus quaſi componi intelligitur: (1.) ex *eſſentiâ, ſ. naturâ intelligente*, quam cum aliis communem habet (II.) *ex ſubſiſtentiâ*, ſive ὑποςάσει, quâ quid prorſus incommunicabile, adeoque formaliter perſona, ſive ſuppoſitum eſt.

4. Eſſentiam ſive naturam Chriſtus non habet unam & ſimplicem, ſed geminam; *divinam*, & *humanam*. Quâ de cauſa ipſum *verum Deum* & *verum hominem* confiteri debemus.

I 3 5. Eſſe

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

5. *Eſſe verum Deum*, non eſt, cur hîc denuò probetur, poſtquam ſuprà in loco de myſterio Trinitatis, primùm *per terminos expreſſos*, dein *per conſequentiam*, & argumenta quadruplicis generis, id probatum fuit.

6. Sed & *verum hominem eſſe*, tota loquitur ſcriptura, V. & N. codicis. Illic enim ſtatim poſt lapſum ſub nomine *ſeminis mulieris*, dein Abrahamo ſub *ſeminis ſui*, tandem Davidi ſub *ſui Filii* appellatione fuit promiſſus. Hîc verò poſt adimpletas promisſiones expresſiora nomina *hominis* & *Filii hominis* ſuſtinet. *Hominem* ipſum confitetur Paulus *1. Tim.* II, 2. & Centurio ἀῦτόπτης *Luc. XXIII*, 47. Ipſe quoq, Chriſtus ſe non tantùm *hominem* Joh. VIII, 40. Sed octogies bis *filium hominis* appellat. Sed & *filius Davidis*, atque *unigenitus Mariæ* dicitur *Matth. I. ſemen Abrahæ* Gal. III, 3. Cujus genealogiam à Joſepho usque ad Adamum texit Lucas *Cap. III.*

7. Ne verò ſub alio, quàm ſub humano corpore, aut ſub alia formâ, quàm ſub animâ rationali eſſe homo fingatur: En! ipſe ſibi Chriſtus aſſerit *animam* Luc. XXIII, *38*. Corporis quoque humani, dum *ſanguinis & carnis*, *conſimiliter ac pueri*, *particeps factus* prædicatur Hebr. II, 14.

8. Quando verò adducta loca omnia loquvntur de Chriſto, cum in his terris ageret, antequàm moreretur, atque à morte reſurgeret: ne poſteà deſiiſſe eſſe homo credatur; en! poſt reſurrectionem diſcipulis conſpicuus factus, veritatem carnis ſuæ & corporis humani ipſe evidentisſimè demonſtravit *Luc. XXIV*, 33, 40, 42. Quo autem corpore à mortuis reſurrexit, eodem in cœlos ſubvectum fuiſſe, & in die noviſſimo ad judicandum vivos & mortuos rediturum, docemur *Act.* I, 10.

9. Quæ utut ita ſunt, nihilo tamen minùs ab ortu Eccle-

ſiæ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

ſiæ reperti fuere, qui ſecus docerent. Non mirum, fuiſſe, qui divinam; admirandum autem, quòd aliqui humanam Chriſti naturam, tot hominum ἀυτοψίᾳ compertam, impugnarent. Utrique pro hæreticis ſunt habiti. Sicut enim *qui credunt*, J*eſum eſſe Chriſtum illum, Filium illũ Dei, vitã habent per nomen ejus*, Joh. XX, 31. Ita ex oppoſito *qui non habet filium Dei, vitam non habet* 1. Joh. V, 12. Et *quicunq; Spiritus non profitetur*, J*eſum Chriſtum in carnem veniſſe, ex Deo non eſt*, 1. Joh. IV, 3.

10. Deitatis impugnatores in duas factiones ſunt diviſi. Alii, cum Judæis & Gentilibus. *Chriſtum non prius extitiſſe* crediderunt, *quàm ex Maria naſceretur*; cum interim indololatrico Gentilium more divinitatis & nomen & cultum ipſi deferrent, ut *Ebion*, *Cerinthus*, *Artemo*, *Theodotus Byzantinus*, P*aulus Samoſatenus* & P*hotinus*.

11. Alii Chriſtum *ante omnia ſecula extitiſſe* non negârunt, ſed ἐξ ὀυκ ὄντων *factum*, & inter Creaturas præſtantisſimum, hoc tamen ipſo longè infra Deum finxerunt; ut *Arius*, & ipſius magno numero ſectatores.

12. Ab ambabus ſectis abſcedunt, ſed nec ipſi tamen hæreſeos notam effugiunt, recentiores quidam in Belgio, qui *Chriſtum ex ſubſtantiâ Patris ab æterno eſſe genitum*, nobiscum loqvuntur & concedunt; ſed *eſſentiam à Deo patre diverſo numero habere*, ſatis craſsè philoſophantur, ut Epiſcopius, Curcellæus, & qui hos ſeqvuntur; quanquã ille ſuum à Catholicis diſſenſum non apertè profitetur, quin & aliquando cum ipſis loquitur, & *Deum Patrem ac Filium unum eſſe Deum* affirmat.

13. Qui humanæ Chriſti naturæ bellum indixere, in plures partes ſcindebantur, prout alii *corpus*, alii *animam* oppugnatum iverunt. Nonnulli ne verum quidem Corpus,

ſed

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

ſed *phantaſma* quoddam & corporis ſimulcarum ipſi tribuerunt, eoque verè eſſe paſſum negârunt: ut, qui ſeipſum pro Filio Dei jactavit, *Simon Magus*: mox *Menander*, *Saturninus*, & qui pro Chriſto Simonem quendam Cyreneum eſſe paſſum ſomniavit, *Baſilides*: de qvibus vide Irenæum *libr.* I. *Cap. XX. & XXII.* Epiphaniũ *hæres. XXIV.* Theodoretum *libr.* I. *de hæret. fab.* & Tertullianum *de præſcr. cap. XLVI.*

14. Alii, etſi verum quidem corpus, non tamen quale eſt noſtrum, aut quod noſtris corporibus eſſet idem ſpecie, profitebantur; ut *Valentinus*, & *Appelles*; quanquam cæterà inter ſe quoqve de materia & ſubſtantia corporis diſſidebant. Chriſtum *Spiritale neſcio quod corpus de cœlo detuliſſe*, ille quidem opinabatur, referente Tertulliano *de præſcr. c. XLIX.* Hic vero; *non carnem duxiſſe de cœlo, ſed ex elementis mundi accepiſſe, & mundo reddidiſſe, cùm ſine carne reſurgens in cœlum adſcendit*; verba ſunt Auguſtini *hæres. XX*III. Confer Tertull. *de præſcr. Cap. LI.* & Theodor. *l. 1. de hær. fab.*

15. Alii denique, cum Chriſti corpus noſtræ carni conſimile, adeoque verè humanũ eſſe non negarent, omnis tamen animæ expers dixerunt, tanquam *operata eſſet Deitas, quæ anima ſolet*, ſicut de *Ario* refert Theodoretus libr. *IV. de hær. fab. Cap.* I. Huic etſi initio adſtipulabatur *Apollinaris*, Laodiceæ epiſcopus: Poſteà tamen, correctâ ſententiâ, non omnem Chriſto animam, ſed *tantùm mentem* detraxit: quanquam inſuper *carnem de Mariæ carne ſuſceptam* negavit: ceu narrat de ipſo Auguſtinus *hæres. LV.* Adi quoque Socratem *libr. II. Cap. XXXVII.*

16. Quantoperè omnes iſtæ opiniones cum ſcriptura ſ. pugnent, luculenter oſtendunt, quibus Chriſti & divinitatem & humanitatem probatam dedimus. In eo autem præcipuè hujus myſterii profunditas conſiſtit, quòd non ali-

alius eſt Chriſtus, qui ſit Deus, & alius qui ſit homo; Sed *quòd una eſt perſona in duabus naturis, ſive quà Deus & homo eſt.* Id quod inconcuſſè tenet Catholica Eccleſia, & abundè docet ſcriptura.

17. Primùm Chriſtus ſub voce μεσίτου expreſsè *unus* prædicatur *I.Tim. II, 5. Unus eſt mediator Dei & hominũ, homo* Jeſus *Chriſtus*. Non quidem adjectiva vocula *unus* ex ſe unitatem perſonæ ſignificat, ſed in virtute *vocis ſubſtantivæ*, quam *Logicâ appellatione* reſpicit. Nempe Vox μεσίτης more aliorum concretorum compoſitum ſignificandi modum habet; & in caſu quidem obliquo *officium mediatorium*, quod formale; in recto *perſonam* eo fungentem, quod materiale ipſius eſt, ſignificat. At vocula adjectiva *unus* præcisè ſuper rectum & materiale ſubjecti ſignificatum, ut Summuliſtæ loquuntur, appellat, eoque unitatem perſonæ notat. Vult itaqve hoc dicere Apoſtolus: *Una eſt perſona, quæ inter Deum & homines mediatoris partes ſuſtinet, & illa perſona eſt homo* Jeſus *Chriſtus*. Confer locum *I. Cor. VIII, 6* Ne verò hoc ad humanam Chriſti naturam reſtringatur, tanquam una eſſe perſona intelligatur, tantùm *quà homo*, non verò *quà ſimul Deus eſt*: præſupponendum eſt, quod alibi ſolidè probatum dabimus, Chriſtum eſſe mediatorem *ſecundum utramque naturam*.

18. Deinde quando de *Chriſto*, aut *Jeſu* (nunc enim hoc, nunc illo, nunc junctim utroque nomine exprimitur) ſi non in eodem, tamen in diverſis locis utrumque prædicatur, & quòd *Deus* ſive *Filius Dei*, & quòd *homo* ſive *Filius hominis* ſit: aut *diverſi Chriſti* intelliguntur; quibus idem nomen æquivocè ſit commune, quod abſurdum; neque enim ſic ludit ſcriptura: aut ſi *unus*; idem qui *Deus*, vel *Filius Dei*, etiam *homo* vel *Filius hominis* eſt. Imò hæc

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

duo quoque de ſe invicem, ſi non ſub his ipſis, tamen ſub æquipollentibus vocibus enunciantur: at ſubjectum & prædicatum ſunt idem quid, ſaltem ratione ejus, quod in caſu recto ſignificant: & quia illa duo in caſu recto repræſentant conceptum *perſonæ*; neque enim *Filii Dei aut hominis* appellatione quicquam aliud intelligitur, quàm *perſona ex Deo vel homine genita*; utique ſub conceptu *perſonæ* idem ſint neceſſum eſt, non obſtante naturarum diverſitate, quia naturas in caſu obliquo important. Ita Paulus de *Filio Dei* agens ſcribit *Rom, 1, 3. Qui factus eſt ex ſemine Davidis ſecundum carnem; declaratus Filius Dei potenter ſecundum Spiritum ſanctitatis &c.* Ex mox eundem, per appoſitionem Grammaticam, *Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum* appellat. Perinde eſt, ac ſi diceret: *Qui eſt Filius Davidis ſecundum carnem, idem eſt Filius Dei ſecundum ſpiritum, isque* Jeſus *Chriſtus.* Cui gemina ſunt: *Jeſum eſſe Chriſtum illum, Filium illum Dei* Joh. XX, 31. *Verbum eſſe carnem factum* Joh. I. *Filium Dei eſſe natum de muliere* Gal. IV, 5.

19. Ex quibus ſequitur, duarum in Chriſto naturarum unam quoque ὑπόστασιν, unamve ſubſiſtentiam eſſe. Etſi enim ex *naturâ* æquè ac *ſubſiſtentiâ* perſona conſiſtit: quia tamen *ſubſiſtentia* formaliter perſonam conſtituit, & *natura* quaſi materiale ejus eſt: ideò non ex unitate vel multiplicitate *naturæ*, ſed *ſubſiſtentiæ*, unitas vel multiplicitas perſonæ æſtimatur. Et proinde ideò Chriſtus ex duabus naturis una perſona eſt, quia humanitatem ſive carnem, *ſine propriâ ſubſiſtentiâ*, intrâ infinitam hypoſtaſin ſuæ Divinitatis, aſſumſit. Quod ſi autem humana natura quoque *propriam ſubſiſtentiam* haberet; tum eſſent duæ perſonæ, quæ quomodocunque unione ſociatæ, non magis, quàm quæ in homine conjuncta ſunt, corpus & anima, prædicari de invicem poſſent.

20. Con-

20. Conſequens quoque ſuperioribus eſt, duplicem eſſe Chriſti generationem: *æternam*, ſive quâ ab æterno ex ſubſtantiâ Dei Patris genitus, & ſic naturalis ac verus Dei Filius eſt: & *temporalem*, ſive quâ in tempore ex Maria virgine natus, atque adeò verus homo eſt. Utraque deſcribitur & conjungitur *Mich.* V, 2. De priori actum eſt ſuprà *Cap. III. de Deo trinuno.* Poſterior hujus loci eſt; quæ uſu Eccleſiaſtico *incarnatio* appellatur, i. e. actio, quâ *verbum caro factum eſt.* Joh. I. Theodoretus nunc ἐνανθρώπησιν, nunc σάρκωσιν vocat dial. II, pag. 67.

21. Non autem incarnatio eſt una & ſimplex actio, ſed duas includit: *unam*, qua caro ſive humana natura in utero B. virginis fuit producta; *alteram*, quâ cum filio Dei, aut cum Divinitate, intra hypoſtaſin Filii Dei, fuit unita. Unde ipſa incarnatio Græcis Patribus ἕνωσις, Latinis *unitio*, *adunatio* dicta eſt.

22. Etſi tempore ſimul erant duæ illæ actiones (neq; enim prius producta fuit caro, quàm intra hypoſtaſin Filii Dei aſſumeretur, ipſique uniretur; ſed *in ipſa conceptione facta eſt unio*, ut loquitur Theodoretus l. c.) prius tamen naturâ erat, *carnem produci*, quàm Filio Dei, aut Divinæ naturæ intra hypoſtaſin Filii Dei *uniri*: ſiquidem *unitio* non niſi rei in eſſe ſuo conſtitutæ & jam exiſtentis eſt.

23. Cæterum, ut ſine peccato Chriſtus naſceretur, ſine concurſu maris, de Maria virgine, & ſic præter naturæ ordinem, ac miraculosè conceptus & natus. Quandoquidem Beata mater, deſponſata quamlibet Ioſepho, non ſine ſuffragio Angeli dixit: *Virum non agnoſco.* Luc. I, 34.

24. Neque adeò cauſa efficiens aſſumtæ carnis ulla ex cauſis naturalibus fuit: ſi quidem, remoto viro, ne virgo quidem Deipara activè concurrit. Unde angelus efficien-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

tem cauſā conſtituit *ſpiritū S.* cùm Mariæ diceret: Luc. I, 35. *Spiritus S. ſuperveniet in te.* Quanquam cum fuerit opus *ad extra*, Totius Trinitatis fuiſſe neceſſum eſt; neque adeò Spiritui S. niſi per appropriationem, adſcribitur. Quin imò cum addit angelus: *Et virtus altisſimi obumbrabit te*, jam Deo quoquè ſimpliciter videtur aſſeruiſſe.

25. Neque conſequenter materia erat κύημα, ex quo alii homines naſcuntur (quod Ariſtoteles πρῶτον μίγμα καὶ θήλεως καὶ ἄρρενος interpretatur *l. 1. de gener. anim. c. XX.*) neque Spiritus Sanctus, aut quicquam à Spiritu S. in locum ſeminis virilis ſubſtitutum. Dicit quidem *Matthæus*: *Mariam inventam eſſe gravidam* ἐκ πνεύματος ἁγίου. & apud ipſum Angelus: τὸ ἐν αὐτῇ γεννηθὲν, ἐκ πνεύματός ἐστιν ἁγίου. Verùm particula (ἐκ) hic non materiam, aut cauſam efficientem cum materiâ, ſicut cùm aliquis *ex patre* naſci dicitur; ſed ſolam cauſam efficientem ſignificat, uti fit in pluribus aliis locis.

26. Ex parte interim eadem erat materia, idemque ſubjectum, quod generationis omnium hominum eſt, ſcilicet *ſanguis ac caro* (ſive maſſa ſanguinea) matris. Unde cum de Maria virgine ait Matthæus *Cap.* I. 16. ἐξ ἧς ἐγεννήθη Ἰησοῦς, & Paulus *Gal. IV*, 4. Chriſtum dicit γινόμενον ἐκ γυναικὸς, hîc præpoſitio ἐκ cauſam materialem ſive principium paſſivum ferè notat, ſecùs quàm ubi de Spititu S. uſurpatur. Neque enim quicquam contulit B. virgo, præter maſſam, quam dixi, ſanguineam, ex qua Chriſti corpus elaboratum & productum fuit. Quo ipſo Deipara vix aliter, quàm paſſivè ſe habuit. Atque ita ad materialem, non verò ad efficientem aliquam cauſam, reſpiciunt ſancti ſcriptores, cùm Chriſtum *ex patribus*, ex *ſemine Davidis* natum, & *hujus Filium* prædicant.

26. Con-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

27. Conceptio vix aliter deſcribi poteſt, quàm deſcripſit Angelus *Luc. I, 35.* quòd ſcilicet *Spiritus S. ſupervenerit in Mariam, & virtus* (δύναμις) *altisſimi eam inumbraverit.* Id quod de potentiâ Dei abſolutâ, non de ordinariâ eſſe intelligendum, res ipſa loquitur. Eſt ſanè & conceptio ac generatio aliorum hominum à Deo, ut confitetur Hiob *X*, 8. non autem à Deo ſolo, ſed ſimul à parentibus, & ab his quidem ut à cauſa particulari, ſed ab illo velut à cauſa universali, concurrente cum vi πλαστικῇ, ſive virtute formatrice, quæ eſt in ſemine maris, per influxum ex parte ſui indifferentem & illimitatum. At conceptio & generatio Chriſti ſolâ & ſic extraordinariâ Dei virtute facta eſt, Spiritu ſancto ſanctificante maſſam ſive ſanguinem B. virginis, & ſupra naturam elevante ad conceptionem, atque dehinc ex eo formante carnem & ſanguinem Chriſti, perinde ac ſi πλαστικὴ ἐνέργεια ineſſet.

28. In tanto quamlibet conceptionis & generationis Chriſti miraculo, naturale tamen erat, ut corpus ipſius, æquè ac quilibet fœtus humanus, ſucceſſu temporis demùm ad juſtam menſuram partûs maturi efformaretur. Id quod S. Lucas ſubinnuit *cap.* II, 6. *Factum eſt autem, cùm eſſent illic, ut explerentur dies ad pariendum.* Non paucos quosdem dies, præter naturæ ordinem ac miraculose definitos, intelligit, ſed naturalem temporis à conceptione ad generationem periodum, quæ novem ferè menſium eſt: perinde ùt ſervator, cum in lucem eſſet editus, non ſubitò in magnitudinem virilis ætatis excrevit, ſed ſenſim & paulatim *ſtaturâ pariter ac ſapientiâ profecit. Luc. II,* 52. Neque enim citra necesſitatem Deus multiplicat miracula, neque adeò multiplicare nos debemus.

29. Cæterùm quam omnes tres perſonæ divinæ, unâ atque

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

que indiviſâ potentiâ, in utero Mariæ virginis, formârunt carnem, eam neque Pater, neque Spiritus S. ſed unus Dei filius asſumpſit & ſibi copulavit, ſicuti liquet ex locis *Joh. I*, 14. *Gal. IV*, 4. *Luc. I*, 35. Vnde Theologi incarnationem diverſo reſpectu opus *ad intra* & ad *extra* eſſe volunt; hoc quidem, ratione *cauſæ efficientis*, & activâ verbi incarnandi ſignificatione; Illud verò, reſpectu *termini*, & pasſivâ ejus verbi ſignificatione.

30. Incarnationis *terminus* id vulgò dicitur, quod per eam eſt productum; quomodo non *Filius Dei*, ſed *caro aſſumpta*, & hujus cum Divinitate intra hypoſtaſin Filii Dei *unio*, terminus incarnationis eſt. Quia tamen actiones & pasſiones ſuppoſitorum ſunt; non *carnem*, ſed *hominem* vel *Filium hominis*, ut & *Deum* vel *Filium Dei*, conceptum natumque dicimus; at diverſâ ratione. Hominem & Filium hominis natum ſimpliciter; at Deum, & Filium Dei, non ſimpliciter natum, ſed cum addito, hominem natum, aut *carnem factum*, dicimus. Quomodo terminus incarnationis compoſitum quid eſt, ſcilicet θεάνθρωπος, ſivè *Filius Dei incarnatus*. Quanquam non abnuimus, quin etiam Filius Dei ſimpliciter, ſaltem *inadæquatè*, rectè ejus terminus dicatur, inquantum & hypoſtaſin importat, intra quam aſſumta eſt caro, & divinitatem, cui caro hypoſtaticè eſt conjuncta.

31. Quibus placet, rem Philoſophorum diſtinctionibus illuſtrare, incarnationem dicunt terminatam fuiſſe ad *carnem* aſſumtam, & hujus cum Divinitate *unionem*, ut ad id, QVO; ad θεάνθρωπον, ſive *Filium Dei incarnatum*, velut ad id, QVOD productum erat. Ad illud proximè; ad hoc non niſi remotè & ultimò incarnatio terminabatur. Prius enim erat, carnẽ produci & uniri, quàm Filiũ Dei hominem naſci.

naſci. Vnde ſi referatur incarnatio ad terminum proximum, & qui ut QVO eſt productus, nihil abeſſe videtur, quin ſit merum *opus ad extra*; quandoquidem & aſſumta caro, & ejus cum Divinitate unio *extra ſubſtantiam Dei* eſt producta, hoc ipſo, quod utraque ab illa realiter diſtinguitur. Sin verò comparetur ad terminum ultimum, & qui ut QVOD actùm incarnandi terminavit: ſic rationem vel inſtar *operis ad intra* habet. Neque enim quicquam impedit, quô minùs opus vel actio Dei, quæ aliâs *ad extra* eſt, ſaltem remotè & ultimò, ad certam perſonam divinam, reliquis excluſis, intrinſecè terminetur.

32. Cum autem aliâs cujusque generationis humanæ ſit unus tantùm terminus; incarnationi tamen, & ideò duplicem aſſignavimus, quia nec ipſa una & ſimplex actio eſt. Quatenus terminatur ad *carnem aſſumtam*, præciſâ unione; reſpondet cuilibet humanæ generationi: Theodoretus ἀνάληψιν τῆς σαρκὸς vocat *dial.* 11, *p.* 67. quatenus verò *ad unionem*; differt ab humanâ qualibet generatione, & nomine ſuperius memorato, atque antiquis Patribus pervagatiſſimo, ἕνωσις, ſive *unitio* appellatur. Differunt autem *unitio* & *unio*, tanquam actio uniendi, & modus per eam productus, quô, poſt illam ſublatam, duæ in Chriſto naturæ perpetuò cohærent.

33. Non intelligitur hìc *unionis* voce duarum in Chriſto naturarum qualiscunqne conjunctio, quoad præſentiam & operationem, qualis eſt *fidelium cum Chriſto*, Gal. III, 27. Joh. VI, 56 aut ſicut in Euchariſtia *panis, qui frangitur, eſt Communio Corporis Chriſti* I. Cor. X, 16. Sed vera ac propriè dicta unio, qualis ea demum Philoſophis eſt, *qua ex pluribus unum & compoſitum quid formaliter conſtituitur*.

34. Sed & propriè dicta unio variat, pro diverſitate

mo-

modi, quo ex pluribus fit unum. Quod præſens attinet, notandum eſt, trifariam ex pluribus unum quid componi: (I.) *ita, ut extrema deſinant eſſe, quod erant.* Philo Judæus *lib. de confuſ. linguar.* σύγχυσιν, Ariſtoteles μίξιν appellat, & μικτῶν ἀλλοιωθέντων ἕνωσιν definit. *l. 1. de gener. & corr. cap. X.* Ita apud medicos ex cera, adipe, pice & reſinâ inter ſe commiſtis τετραφάρμακον, & ſecundũ Ariſtotelem ex quatuor elemẽtis corpus mixtum componitur. (II.) *ut unum extremorum maneat, quod erat, altero in ipſũ converſo & quaſi abſorpto*: quomodo gutta mellis, in oceanum conjecta, in ſubſtantiam aquæ maritimæ convertitur. (III.) *ut utrumque extremorum, aut ſi plura ſunt, omnia eſſentiam & proprietates ſuas retineant*; ſicut ex corpore & anima homo, ex capite, thorace & ventre corpus humanum componitur. Quo in caſu unio uni extremorum ineſt *ſubjectivè*, & alterum ut *terminum intrinſecum* reſpicit.

35. Unio duarum in Chriſto naturarum, non primo, nec medio, ſed poſtremo modo facta eſt: quanquam cæterà, ſeu extrema, ſeu quod ex his componitur, reſpicias, planè *inuſitata* eſt: tum quia inter extrema nulla eſt proportio, hoc ipſo, quod alterum finitum, alterum infinitum quid eſt; tum quia per naturam nulla ſubſtantia completa, qualis eſt humana natura in Chriſto, propriâ ſubſiſtẽtiâ caret, & alienâ terminatur. Unde S. Paulus vocat *magnum pietatis myſterium, quòd Deus eſt manifeſtatus in carne*, 1. Tim. IV, 3.

36. Per naturam vix uniuntur extrema, quin utrumque eorum per unionem perficiatur: quo fit, ut unio utrique inſit *ſubjectivè*: ſicut quæ inter *corpus* & *animam* intercedit unio, quia utrique largitur perfectionem, utrique ineſt *tanquam ſubjecto*; & quatenus quidem ineſt corpori,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

pori, animam; quatenus viciſſim animæ ineſt, Corpus ut *terminum* reſpicit. At cum in Chriſto unitæ ſunt duæ naturæ; neutiquam divina, ut quæ infinitæ perfectionis eſt, & potentiâ recipiendi ulteriorem perfectionem caret; ſed ſola humana natura per iſtam unionem perficitur.

38. Non interim Divinæ naturæ repugnat, *intrinſecè terminare ſui cum humanitate unionem.* Quanquam non eam terminat ſub eſſe abſoluto, & prout tribus perſonis eſt communis: alioquin Trinitas eſſet θεάνθρωπος; ſed prout in perſonâ ſive hypoſtaſi Filii Dei ſubſiſtit. Unde potiùs *Filius Dei* terminus unionis, quàm *divina natura* eſt: niſi adhibitâ diſtinctione dicas, eam ad divinam naturam *inadæquatè*, & velut ad id *quo*; ad Filium Dei *adæquatè*, & tanquam ad id *quod*, terminari.

39. *Cauſatum*, ſive id, quod ex duabus naturis componitur, & per earum unionẽ formaliter conſtituitur, eſt *idem Dei Filius*; non autem, quatenus præciſè à divina natura ita denominatur; ſic enim nullam compoſitionem ſive unionem importat; ſed quatenus eſt θεάνθρωπος, i. e. *una ex duabus naturis perſona*, ſive quæ ſimul *Deus* & *homo* eſt. Fuit quidem, & ante carnis aſſumtionem, una perſona, ſed ſub unâ naturâ: nunc cum humanam naturam, *ſine propriâ ſubſiſtentiâ*, aſſumpſerit, *una ex duabus naturis perſona* eſt. Hinc Theodoretus *dial. II, p. 67.* ἐκ δύο φύσεων λέγω τὸν χριστὸν, δύο δὲ φύσεις οὐ λέγω.

40. Ex quibus nullâ difficultate perſpicitur, quare & quàm rectè unio, de qua loquimur, Theologis dicta ſit *hypoſtatica* & *perſonalis*: quandoquidem & terminus & cauſatum ejus, *certa hypoſtaſis* ſive *perſona divina* eſt. Et proinde, ut res breviculâ definitione comprehendatur, nihil aliud eſt *unio perſonalis*, quàm *natura humana cum Divinâ intra hypo-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

hypoſtaſin Filii Dei arctiſſima & indiſſolubilis conjunctio, per quam una eademque perſona verus Deus & verus homo eſt.

41. Omnia definitionis membra ex ſuperioribus manifeſta ſunt: præterquam quod dixi, unionem humanæ naturæ cum Divinâ *indiſſolubilem* eſſe. Quod non ita accipiendum eſt, quaſi ne diſſolvi quidem ullo modo poſſit; ſicut enim per Dei potentiam producta eſt, ita per eandem viciſſim diſſolvi poſſet: ſed *quod actu nunquam diſſolvatur:* quemadmodum nec in triduo mortis diſſoluta fuit.

42. Sed & hoc obſervandum, non unam in Chriſto eſſe compoſitionem ſive unionem. Neque enim tantùm Chriſti perſona ex duabus naturis, ſed & humana ejus natura ex corpore & animâ compoſita eſt. Sicut itaque ibi inter duas naturas unio *hypoſtatica*; ita hîc inter partes humanæ naturæ unio datur, quam *eſſentialem* Philoſophi appellant. Hanc in triduo mortis Chriſti diſſolutam fuiſſe, vel inde ſatis liquet, quòd mors nihil aliud eſt, quàm unionis illius diſſolutio: ſicut nec vita in actu primo quicquam aliud, quàm illa ipſa corporis & animæ unio. Non tamen propterea etiam diſſoluta fuit unio hypoſtatica inter duas naturas, ſed hoc ipſo manſit intacta, quòd quæ poſt mortem ſupererant, *corpus* & *anima*, humanæ naturæ principia, in hypoſtaſi Filii Dei ſubſiſtere non deſierunt.

43. Præſupponimus autem, eandem eſſe unionem hypoſtaticam, per quam tota humana natura, prout ex corpore & anima conſtat, & per quam hæc ejus extrema, ſive principia, Filio Dei ſunt conjuncta: quandoquidem humana natura nihil eſt præter *corpus* & *animam*, niſi quòd quatenus ex his componitur, ſimul mutuam ipſorum unionem connotat. At præciſè *ſecundum extrema*, non habitâ unionis ipſorum ratione, Filio Dei hypoſtaticè eſt conjuncta:

ut vel

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

ut vel inde patet, quòd ſola extrema hypoſtaſeos capacia ſunt; unio autem ipſorum planè ἀνυπόστατος eſt. Manſit itaque in triduo mortis unio hypoſtatica hoc ipſo, quod extrema, *corpus* & *anima*, in Filio Dei ἐνυπόστατα manſerunt, licet inter ſe eſſentiali unione non eſſent conjuncta, neque adeò naturam viventem actu conſtituerent.

44 Hoc tamen intereſt, quòd in triduo mortis unio hypoſtatica, quantũvis una eademq;, non humanæ naturæ, ſed extremorum ejus cum Filio Dei erat conjunctio: niſi humanam naturam dicas ſumi *materialiter*, pro ipſis extremis, præciſâ horum unione: at quod materialiter tantùm tale eſt, non eſt tale. Nihilominus fixum manet, Chriſtum id quod ſemel aſſumſit, nunquam depoſuiſſe. Intelligendum hoc eſt de aſſumtis ἐνυποστάτοις, ſiquidem Chriſtus dicitur *aſſumſiſſe humanam naturam*, hoc ipſo, quòd ei hypoſtaſin ſuam communicavit, adeoque ἐνυπόστατον fecit. At *corpus* tantùm & *anima* ἐνυπόστατα ſunt, non verò ipſorum *unio*. Ergo hac quantumvis in triduo mortis depoſitâ, illa tamen non depoſuit, ſed æquè hypoſtaſi ſuâ terminavit.

45. Verum enim verò duarum in Chriſto naturarum unionem, prout eam modò cum catholica Eccleſia expoſuimus, negârunt olim & vehementer impugnârunt, *Neſtorius* & *Eutyches*, ſed ſententiâ è diametro contrariâ. Noluit ille quidem confiteri, Mariam *Deum peperiſſe*, neque adeò θεοτόκον, ſed χριστοτόκον eſſe appellandam cenſuit, teſtibus Theodoreto & Evagrio. Cui neceſſarium conſequens erat, eum quem Maria peperiſſet, non Deum ſive Dei Filium, ſed hunc alium, alium illum eſſe; & ſic conceſſis duabus naturis, unitatem perſonæ negavit. Contrà Eutyches, quò magis adverſus illum unitatem perſonæ defenderet, ex duabus naturis unam eſſe factam docuit, humanâ in divinam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

vinam conversâ, & per eam quaſi abſorptâ. Vide Leontium *de ſectis, act.* 1. *Tom. II. Bibl. PP. Paris. edit. pag.* 496.

46. Utrumque errorem, uti fundamentalem & hæreticum habuerunt veteres, ita in Conciliis oecumenicis ex æquo damnarunt. Contra Neſtorium coacta fuit Synodus Epheſina, oecumenica tertia, Imperatore Theodoſio juniore; ſimul & approbata ſunt, quæ illi Cyrillus Alexandrinus oppoſuerat, XII. capitula, aliâs anathematismorum nomine nuncupata.

47. Eutychi oppoſita fuit Synodus Chalcedonenſis, œcumenica IV. Imperatore Marciano: ubi èx Leonis M. præſcripto, hujusque inſtantibus Legatis, tandem unanimi Patrum conſenſu ſtatutum eſt, ut Chriſtus diceretur *eſſe in duabus naturis* ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, καὶ ἀχωρίστως. Nihil aliud ſignificare voluit laudata Synodus, quàm duas in Chriſto naturas etiam poſt unionem manſiſſe, ita quidem, ut (I) *non ſint permixtæ & confuſæ in unam*, (II) *nec una earum ſit converſa in alteram*; quorum utrumque Eutychi erat oppoſitum. (III) *ut nullis nec temporum nec locorum intervallis* καθ' ὑπόστασιν *unquam ſeparentur*: quod contra Neſtorium addebatur.

48. Atque ita quæ & qualis duarum in Chriſto naturarum ſit unio, quadantenus conſtat. Eam verò neceſſariò, & tanta conſequitur naturarum invicem communicatio, quanta eſſe poteſt maxima. Aliâs ſicut dantur gradus unionis, ita & communicationis; adeoque quò magis vel minus aliqua unita ſunt, eò magis vel minus conmunicant. Sunt quædam unita ſolâ continuatione, & ſic ſine ipſorum penetratione, ſicut aſſeres vel ligna, ex quibus ſella conſtat; & hæc nihil magnoperè commune habent, niſi uſum, cujus gratiâ facta eſt ſella, & quòd uno moto, alterum quo-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

quoque moveri neceſſum eſt. Alia verò ita ſunt unita, ut unum penetret alterum, aut ab altero penetretur; ſicut in forcipe candente ferrum & ignis; & hæc inter major eſt communicatio. Nunc verò unio perſonalis facta eſt cum intimâ naturarum penetratione, quam Veteres περιχώρησιν appellant: Ergo quæ illam conſequitur communicatio, maxima ſit neceſſum eſt.

49. Dupliciter autem communicatio accipitur: (I) *activè*, ſive prout eſt eorum, quæ inter ſe communicant; & hujusmodi ſunt illa ipſa extrema, quæ unita ſunt: ſicut in Chriſto humana & divina natura, aut quæ ab his denominantur concreta, Deus & homo. (II) *paſſivè*, ſive prout eſt ejus, vel eorum, quæ communicata ſunt. Et ita hîc ſumitur, ac duplex vulgò ſtatuitur: una *Naturarum*, ſive qua naturæ ſibi invicem cummunicatæ ſunt; & altera *idiomatum*. Fundamentum & cauſa utriusque eſt *communio hypoſtaſios*, quam ab auctoribus conjicimus ideò omiſſam, quia ab unione perſonali non diſtingui videtur. Vnde veteribus ἕνωσις καθ' ὑπόςασιν dicta eſt.

50. Eſt autem *communio hypoſtaſeos*, *quâ hypoſtaſis Filii Dei & divinæ ejus naturæ eſt carnis facta hypoſtaſis, ita ut ipſi æquè formalem effectum impertiat*. Scilicet formalis effectus hypoſtaſeos ſive ſubſiſtentiæ eſt, naturam complere ſive terminare in ultimo exiſtendi modo, & cum ea perſonam ſive ὑφιςάμενον conſtituere. Hoc itaque ipſo, quod hypoſtaſis divinæ naturæ facta eſt carnis hypoſtaſis, carnem quoque in ultimo exiſtendi modo cõplet ſive terminat, ut quæ ab æterno erat ſimplex perſona, nunc ex duabus naturis compoſita detur. Hinc ſcribit Damaſcenus l. III. Cap. XI. *Carnem factum eſſe verbum, eſt ipſam Verbi hypoſtaſin ſine converſione factam eſſe carnis hypoſtaſin.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

51. Ex communione hypoſtaſeos proximè ſequitur naturarum communicatio. Hoc enim ipſo, quòd duæ naturæ in unâ hypoſtaſi ſubſiſtunt, ipſæ ſibi invicem communicatæ ſunt; non quìdem ita, ut in abſtracto de ſe mutuò prædicentur: neque enim caro divinitas, aut hæc illa facta eſt, poſtquam ſua utrique eſſentia & proprietates manſerunt: ſed *ut humana etiam Dei, & divina etiam hominis natura eſſe cœperit*. Ob hanc ipſam communicationem Filius Dei carnem ſuam unà cum Divinitate adorari patitur; quia ſcilicet *ſua*, & ſic non nudi hominis, ſed etiam Dei caro eſt. Act. XX, 28. Quod ſi autẽ non ita ſibi invicẽ communicatæ eſſent naturæ, ut caro humana facta eſſet Dei caro; tum cultus religioſæ adorationis non poſſet ipſi citra idololatriam exhiberi, ſecundum ipſius Dei effatum *Eſa. XLVIII, 11. gloriam meam alteri non dabo*.

52. Alii communicationem naturarum per περιχώρησιν exponunt, nec fortè malè. Quicquid ſit de nativa vocis ſignificatione, idem eâ videtur intelligi apud Theologos, quod Philoſophis *penetratio* eſt. Sed nulla datur penetratio ſine unione, neque illa huic quicquam ſuperaddit, niſi certum uniendi modum. Et proinde περιχώρησις in ſuo formali conceptu tum unionem includit, tum uniendi modum, puta quòd unum extremorum penetrat alterum, aut ab altero penetratur. Neque jam refert, utrum eam *aliquorum ſe penetrantium unionem*, an *unitorum penetrationem* eſſe dicas. Quo fit, ut unâ eademq; voce περιχωρήσεως nunc *unio perſonalis*, ſicut fit apud Damaſcenũ; nunc *naturarũ communicatio*, quæ in earum penetratione conſiſtit, appelletur. Neque enim plus quàm ratione diſtinguuntur, & diverſo concipiendi modo ſe invicem connotant, quò minus una ſine altera concipi & explicari poſſit.

54. Pe-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

53. *Penetrare* ſe & *penetrari* dicuntur, *quæ ſpatio & ſitu ſunt indiviſa*, ſicut in bove corpus & anima; in lacte albedo, dulcedo & liquiditas: nulla enim ne minima quidem pars vel corporis bovini datur, quin ſit animata; vel lactis, quin ſit alba, dulcis & liquida. Non autem parum refert, utrum aliquid *penetrare* alterum activâ ſignificatione; an paſſivè *penetrari* ab altero dicatur. Etſi in naturalibus aliquando extrema ex æquo *activè* & *paſſivè* ſe invicem penetrant, ſæpe tamen penetratio activa unius tantùm extremorum, & paſſiva alterius eſt: ſicut in forcipe candente ignis undique penetrat ferrum, & ferrum ab igne penetratur, ſed non vice verſâ. Similiter in Chriſto divina natura intimè penetrat humanam, & hæc ab illa undique penetratur, ſed non contra. Hinc benè Damaſcenus l. III. de fid. orth. cap. XIX. περιχώρησις *non ex carne, ſed ex divinitate facta eſt: impoſſibile enim eſt, carnem permeare* (penetrare) *divinitatem.*

54. Neque diverſi à nobis eunt, qui περιχώρησιν ſive penetrationem per *mutuam duorum in ſe exiſtentiam* exponunt, puta quòd illud in hoc, & hoc in illo inſit, ſecundum totam ſuam ſubſtantiam: quomodo phraſi ſcripturæ *Deus Pater in Filio, & Filius in Patre eſt*, Joh. X, 38. & cap. XIV, 20. Verùm in hoc myſterio extrema, ſive quæ ſe penetrant, ſunt indiviſibilia. Aliâs ſi continua & diviſibilia ſunt: tùm alterum quidem in altero totum, ſed non totũ in qualibet alterius parte ineſt; ſicut in ferro ignito alia ignis particula hanc, alia aliam ferri partem occupat ac permeat. Sin verò alterum tantùm continuum & diviſibile, alterum indiviſibile quid eſt; tum hoc totum in toto illo, & totum in qualibet illius parte ineſt: quomodo de anima rationali tradunt nonnulli Philoſophi, quòd to-

ta

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

ta in toto corpore humano, & tota in qualibet illius parte inſit. Ad eundem modum tota Chriſti divinitas in tota aſſumtâ carne, & tota in qualibet carnis parte eſt.

55. In ſcriptura S. hæc naturarum Chriſti communicatio invicem ac penetratio dicitur ἐνοίκησις, ut Col. II, 9. ἐν αὐτῷ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς, *in ipſo inhabitat tota plenitudo Deitatis corporaliter.* Videtur particula σωματικῶς adjecta diſcriminis cauſâ. Nam in renatis quoque & fidelibus inhabitat tota Deitatis plenitudo, hoc ipſo, quod Spiritus S. in illis operatur præſens, & vim quoque operandi ac vitam ſpiritualem impertit. Hinc illis κοινωνία τοῦ πνεύματος ἁγίου tribuitur II. Cor. XIII. Et ipſi dicuntur κοινωνοὶ τῆς θείας φύσεως, *participes divinæ naturæ.* At non in his, ſicut in Chriſto, σωματικῶς, (*corporaliter*) inhabitat, quanqnam quid eâ voce hîc denotetur, ambiguum eſt.

56. Tres autem hujus loci interpretationes ſunt. Aliquando τὸ σῶμα opponitur *typis V. T.* & *umbræ*, ut ibid. v. 17. Et ita σωματικῶς *inhabitare*, idem erit, quod non typicè, non umbratiliter, ſed verè & realiter inhabitare. Verùm hac interpretatione non tàm excluduntur fideles, quam typi V. T. ut tabernaculum, propitiatorium, & aliæ figuræ, in quibus etiam erat Chriſti Deitas, ſed typicè, & quaſi per umbram. Aliàs cum hîc Deitas intelligatur *inhabitare in Chriſto ſecundum humanam naturam*, ſecundum quam ille ex corpore & anima conſtat: placet nonnullis, Paulum reſpexiſſe ad corpus Chriſti, velut ad ſubjectum inhabitationis, & hoc voluiſſe, quòd Deitas non tantùm in animâ, ſed etiam *in corpore Chriſti inhabitaret.* Aliis fit veroſimilius, σῶμα hîc idem dici, quod ὑφιστάμενον, *ſuppoſitum*; & conſequenter vi cognationis σωματικῶς idem

eſſe

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

eſſe quod ὑποστατικῶς; quomodo naturarum Chriſti unio & communicatio à myſtica conjunctione fidelium cum Chriſto, aut cum Spiritu S. & aliis uniendi modis ſolidè diſtinguitur. In fidelibus enim plenitudo Deitatis tantùm eſt σχετικῶς, quoad præſentiam, gratiam & operationem: at *in Chriſto* (ut homine, ſive in carne Chriſti) *inhabitat* ὑποστατικῶς, ſive ita, ut cum carne Chriſti unum ὑφιστάμενον conſtituat.

58. Ex iſtac naturarum Chriſti communicatione oriuntur *prædicationes*, quas vocant, *perſonales*, nimirum ut *Deus eſſe homo*; & *homo eſſe Deus* dicatur. Cujusmodi prædicationes, licet non ſub his ipſis, tamen ſub æquipollentibus vocibus, paſſim in ſcripturâ occurrunt, ut *Matth. XVI, 16. Luc. I, 32. Joh. I, 14. Rom. I, 3.*

59. Nonnulli per eas prædicationes ipſam naturarum communicationem, ſed ita *à poſteriori* deſcribunt, ſicut ſæpe eſſentia per proprietatem, cauſa per effectum illuſtratur. Actu quidem prædicari, accidit extremis: at quòd prædicari ita de invicem poſſint, hoc ex communicatione naturarum, velut ex cauſa effectus reſultat, adeoque poſterius quid eſt. Nempe quia humana vel hominis natura per communicationem facta eſt Dei natura, & vice versâ: ideò homo de Deo, & Deus de homine verè affirmari poteſt.

60. Theologi prædicationes *inuſitatas* vocant, nec abs re quidem. Uſitato enim prædicandi modo non enunciantur de ſe invicem diſparata, niſi aliqua eorum ad ſe invicem ſit *proportio*, & alterum *denominativè* atque *in modum adjacentis* efferatur: ſicut inter *corpus* & *animam* datur proportio, neque tamen corpus eſſe animam, ſed eſſe animatum, dicimus. At perſonalium prædicatio-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

tionum extrema ſunt diſparata infinitæ diſtantiæ, & inter quæ nulla eſt proportio, neque denominativè, ſed ſub vocibus *ſubſtantivis*, & in *modum per ſe ſtantis* de ſe invicem prædicantur: neque enim Deum eſſe humanum, aut hominem eſſe divinum, ſed Deum eſſe hominem, & hominem eſſe Deum dicimus.

61. Sed & hoc ex communicatione naturarum fluit, ut de *Chriſto*, aut æquipollente ejus nomine utrumq;, & quòd *Deus* vel *Filius Dei*, & quòd *homo* vel *Filius hominis* ſit, enuncietur, ſicut utrumq; dicit Paulus *Rom. IX, 5.* tùm *Chriſtum eſſe ex patribus ſecundum carnē*; tum *eſſe Deum benedictum in ſecula.* Verum hæ prædicationes ab inuſitatis illis non parum differunt, ſaltem quod ſignificationem extremorum, & eorum ad ſe invicem habitudinem attinet. Nam *Curiſtus* non præcisê ab unâ natura denominatur, ſicut extrema priorum prædicationum, *Deus* & *homo*; Sed perſonam compoſitam ſignificat, quatenus compoſita eſt. Unde hoc *concretum perſonæ*, illa *concreta naturæ* dicuntur. Atque hinc alia concretorum naturæ ad Chriſtum, quàm eorum ad ſe invicem habitudo eſt. Se invicem reſpiciunt, ut ea, quorum neutrum magis aptum eſt ſubijci, quàm prædicari. Ex talibus autem fiunt *prædicationes per accidens*, ut cum *album eſſe dulce* dicimus, & vice verſâ. Sed ad *Chriſtum* referuntur, ut ad id, cui *per ſe* & *formaliter* competunt. Poſito enim, quòd *Chriſti* nomine θεάνθρωπος, ſive perſona compoſita denotatur, quatenus compoſita eſt; non minus de formali ratione Chriſti eſt, eſſe *Deum* vel *hominem*, quàm de ratione hominis, eſſe corporeum vel animatum.

62. Non autem quemadmodum Concreta, ita etiam abſtracta verè de ſe invicem affirmari poſſunt. Nam ut vera ſit aliqua prædicatio, extremorum à parte rei requiri-

tur

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

tur identitas, ſi non ſecundum omne eorum ſignificatum, ſaltem ratione ejus, quod in caſu recto repræſentant. At naturæ ipſæ in abſtracto nihil, ne quidem in caſu recto ſignificant, ratione cujus idem ſint: quamobrem divinam eſſe humanam, & humanam eſſe divinam naturam, verè non dicimus. Ex adverſo concreta, *Deus* & *homo*, etſi & ipſa à diverſis naturis ita denominantur, quia tamen cum naturis ſimul perſonam, & naturas quidem in obliquo, ſed perſonam in caſu recto ſignificant: hinc verè de ſe invicem enunciantur ob *identitatem perſonæ*, & hac ipſa de cauſa *perſonales* appellantur.

63. Veterum nonnulli, quò magis intimam naturarum conjunctionem & περιχώρησιν exprimerent, verbi ab unâ naturâ deducti participium de naturâ alterâ in abſtracto enunciarunt. Quomodo Damaſcenus *carnem Chriſti* dixit θεωθεῖσαν, τεθεωμένην, ἀπὸ τοῦ θεοῦσθαι, & ne hoc de converſione quadam carnis in divinitatem intelligeretur, addidit: οὐ κατὰ μεταβολὴν, ἀλλὰ καθ' ἕνωσιν καὶ περιχώρησιν τῶν φύσεων ἐν ἀλλήλαις. Sed & Cyrillus viciſſim *divinam naturam* σεσαρκωμένην dixit, ἀπὸ τοῦ σαρκοῦσθαι, improbante quidem, ſed tamen benignè interpretante Damaſceno: neque enim aliud quid ſignificare voluit, quàm *Divinitatem intimè carni coniunctam eſſe.* Vide Damaſc. *libr. III. de fid. Orth. cap.* XIX. & Leont. *de ſect. Act.* VIII.

64. Atque hæc hactenus de communicatione naturarum. Nunc ut de communicatione idiomatum ſive propriorum agamus, prænotandum eſt, horum appellatione non præciſè ea intelligi, quæ competunt *omni, ſoli & ſemper*, quæ Ariſtoteles ἁπλῶς propria appellat; ſed etiam τὰ πρός τι, i. e. quæ duobus vel pluribus inter ſe comparatis, uni ſoli eorum vindicantur. Ita *edere, bibere, vigilare, dormire*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

mire, *defatigari*, *pati*, *mori*, abſolutè non ſunt propria humanæ naturæ, quia etiam beſtiis brutis conveniunt: at propria illius ſunt, comparatione divinæ naturæ, cui planè non competunt.

65. Sed & hoc in anteceſſum nôſſe refert, utrum reſpectu naturarum ipſarum in abſtracto, an tantùm in ordine ad earum concreta, facta ſit idiomatum communicatio: Veteres ferè ad concreta eam reſtrinxerunt, in hoc præcipuè poſitam rati, *quòd idiomata unius naturæ communicata eſſent concreto naturæ alterius & vice versâ.* At reverà etiam, licet alio modo, comparatione naturarum in abſtracto datur, quatenus ipſis inter ſe & *maieſtatis* communio & *operationum* intercedit. Neque hujusmodi communionem negarunt aut ignorarunt veteres: tantùm *communicationis idiomatum* nomine non appellârunt; fortè quòd idiomata à *maieſtate* & *operationibus* diſtinguerent. At reverà quoque idiomata ſunt, ſub ſpeciali tantùm ratione & nomine. Unde rectè hodiè noſtri *Theologi* tria communicationis idiomatum genera conſtituunt.

66. Primum genus dicitur comparatione *concretorum utriusque naturæ, quatenus mutuam omnium proprietatum communionem inter ſe obtinent.* Et hoc ipſum eſt, quod veteribus, ſed unum eo nomine frequentatum dixi. Græci ἀντίδοσιν, *permutationem* appellarunt. Olim apud Athenienſes vox ea uſurpabatur de civibus, qui ex Solonis lege bona ſive facultates ſuas permutabant, teſtibus Iſocrate & Suidâ. Verùm ibitùm alter alterius bona accipiendo, cum ſua viciſſim illi traderet, ſuorum ſe poſſeſſione & dominio abdicavit. Hic verò *Deus* & *homo* ita permutant inter ſe naturarum idiomata, ut tamen participatione eorum quæ alterius ſunt, ſua non amittant.

68. Scho-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

67. Scholaſtici communicationem idiomatum per *prædicationes* deſcribunt, cæteroquin in eo imitati veteres, quòd non aliud genus, quàm hoc primum agnoſcunt. Non autem eſt veroſimile, quòd ipſam formalem rationem in prædicationibus collocaverint. Aut enim intelligunt prædicationes in actu poſitas: at hæ in operatione mentis conſiſtunt, cùm communicatio re ipsâ, & citra mentis operationem detur; aut extremorum ad has vel illas prædicationes aptitudinem: at hæc quoque communicationem idiomatum præſupponit, ex quâ velut ex causâ effectus oritur. Vera enim cauſalis propoſitio eſt: *Quia idiomata unius naturæ communicata ſunt naturæ alteri in concreto, ideo de concreto alterius naturæ apta ſunt prædicari.*

68. Longè alium deſcribendi modum præivit Filius Dei, ubi ſui cum Deo Patre communionem exponit. *Omnia*, ait, *quæ habet Pater, mea ſunt* Joh. XVI, 15. Et ad ipſum Patrem: *Mea omnia tua ſunt, & tua mea ſunt* Joh. XVII, 10. Ad eundem modum *omnia, quæ habet humana Chriſti natura, Dei, & quæcunque habet divina natura, hominis* eſſe rectè dicuntur. Sicut enim ibi inter Deum *Patrem* & *Filium* ex unitate eſſentiæ proprietatum divinarum, ita hic inter D*eum* & *hominem* ex unitate hypoſtaſeos omnium utriusque naturæ proprietatum reciproca & communis, nec qualiscunque, ſed pleniſſima poſſeſſio oritur, conjuncta cum jure χρήσεως καὶ ἐνεργείας. Id quod Græci Patres verbo οἰκειοῦσθαι, ἰδιοποιεῖσθαι καὶ ἴδιον ποιεῖσθαι, quod eſt *ſuum facere* vel *vindicare*, ſignificârunt.

69. Vix itaque ſimpliciori deſcriptione explanari poteſt *primum communicationis idiomatum genus*, quàm ſi id eſſe dicamus, *quo* Deus *ſuum vendicat, quicquid humanæ, & homo, quicquid divinæ naturæ proprium eſt.* Ita pervagatiſſimum A-

 thana-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

thanaſii effatum eſt; *Verbum ſua feciſſe, quæ ſunt corporis vel carnis*, ut libr. IV. contr. Arian. item in epiſt. ad Epict & libr. de adventu CHRISTI. Idem loquendi modus apud Cyrillum paſſim occurrit, qui inter alia in epiſt. ad Valerianum ait: λόγος *neceſſariò ſua faciens, quæ carnis erant ſuæ, pertuliſſe dicitur, quæ caro ipſius pertulit.* Et ad Monachos: *Quæ carnis ſunt, ſua fecit, ut & pati proprium dicatur ipſius.* Similiter Damaſcenus libr. III. cap. III. *Sua, quæ humana ſunt, facit* λόγος. *Ipſius enim ſunt, quæ ſanctæ ſuæ carnis ſunt; & viciſſim cum carne, quæ ſibi propria ſunt, communicat.* Hinc Dei paſſio ac mors eſt, quam humana natura ſuſtinuit, & viciſſim hominis vita ac potentia, quam ab æterno habet divinitas.

70. Fundamentum hujus communicationis eſt *unio perſonalis*: cauſa proxima, *naturarum communicatio.* Nempe quia naturæ per unionem perſonalem ita ſibi invicem ſunt communicatæ, ut divina hominis, & humana Dei facta ſit natura: ideò Deus ſuum vendicat, quicquid humanæ, & homo, quicquid divinæ naturæ proprium eſt. Hinc benè Athanaſius apud Cyrillum in apologia: *Si alterius eſſet corpus, illius etiam dicerentur paſsiones. Si autem Verbi eſt caro (Verbum enim caro factum eſt) neceſſarium eſt, ut & carnis paſſiones eſſe dicantur, cujus & caro eſt.*

71. Prædicationes, quæ in hoc primo genere fundantur, illæ ſunt, quibus *de Deo, quicquid humanæ, & de homine, quicquid divinæ naturæ proprium eſt, enunciatur.* Hujusmodi ſunt: *Filius hominis adſcendit, ubi erat prius* Joh. VI, 62. *Secundus homo eſt de cœlo* I. Cor. XV, 47. Illiuſmodi verò: *Dominus Gloriæ crucifixus eſt* I. Cor. II, 8. *Auctor vitæ interfectus eſt*, Act. III, 15. *Filius* DEI *pro nobis omnibus fuit traditus* Rom. VIII, 32.

72. Cal-

72. Calvinianorum nonnulli, fortè extremorum repugnantiâ offenſi, prædicationes *verbales* appellârunt, tanquam v. g. *Deus eſſe paſſus* diceretur, non ſecundum rem ſignificatam, ſed verbo ſive voce tantùm. Ratio ipſorum eſt: quia *Deus* primò & principaliter naturam divinam ſignificat, quæ pati non potuit. Hinc Zvvinglius ἀλλοίωσιν finxit, quâ aliud loco ſubjecti poneretur, & aliud intelligeretur: ſicut cum *Deum eſſe paſſum* dicimus, ſic intelligi volebat, *Carnem* Deo *hypoſtaticè conjunctam eſſe paſſam.*

73. At enim ut *realis* ſit aliqua prædicatio (i. e. ut non verbo tantùm, ſed re ſignificatâ unum de altero prædicetur) inter prædicatum & ſubjectum non requiritur omnimoda identitas, ſecundum omne id, quod quoquo modo ſignificant; ſed ſufficit, eſſe idem quid ratione ejus, quod in caſu recto repræſentant. Id quod innumeris doceri poſſet exemplis. Sanè *album eſſe dulce*, verè dicimus, quia per extrema in caſu recto idem ſubjectum, v. g. *lac* ſignificatur, licet quæ in caſu obliquo connotantur, *albedo & dulcedo*, res ſint diverſiſſimæ. Ad eundem modum *Deum eſſe paſſum*, propriiſſimè & verisſimè dicimus, quia per ſubjectum in caſu recto ὑφιστάμενον (*ſive ſuppoſitum*) denotatur, quod reverà eſt paſſum: licet *divina Natura*, à qua *Deus* denominatur, non ſit paſſa, quippe cum in caſu obliquò per eam vocem repræſentetur.

74. Theologi noſtri dictas prædicationes κατ' ἄλλο appellant, ſed longè alio ſenſu, quàm quo Zvvinglius ſuam ἀλλοίωσιν intellexit. Quod quò pateat clariùs, ſciendum eſt, idiomatum utriuſque naturæ aliud eſſe ſubjectum *quod*, aliud ſubjectum *quo*. Subjectum quod eſt ὑφιστάμενον (*ſuppoſitum*) ſive à divinâ naturâ *Deus*, ſive ab humanâ *homo* denominetur. Non autem utraque natura, ſed ea tantùm, ſe-

cun-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

cundum quam prædicatam ſuppoſito tribuitur, eſt ſubjectum *quo*. Aut ergo prædicatum ſuppoſito competit ſecundum eam ipſam naturam, à qua denominatur; & hanc vocant prædicationem *formalem*, ut cum *hominem eſſe paſſum*, *Deum eſſe æternum* dicimus: aut non ſecundum eam, à qua denominatur, ſed ſecundum *aliam naturam*; & hoc demum ſenſu vocant prædicationem καῖ ἄλλο. Ita cum *Deum eſſe paſſum* dicimus, id quod per vocem *Deus* in caſu recto ſignificatur, eſt *ſuppoſitum*, & ſic ſubjectum *quod* paſſionis: ſubjectum autem *quo* non eſt divina, à qua Deus denominatur, ſed humana, & ſic *alia* natura. Ex adverſo Zvvinglius nihil ejus, quod per vocem *Deus* propriè & uſitatè ſignificatur, ne ſuppoſitum quidem, ullo modo ſubjectum paſſionis eſſe voluit.

75. Ab his καῖ ἄλλο prædicationibus nôn parum illæ differunt, quibus *Chriſto*, ſub hâc ipsâ aut ſub æquipollente voce, nunc humanæ nunc divinæ naturę idiomata tribuuntur, ut *Matth. I, 16. Rom. VI*, 1. *Petr. III*, 18. *Hebr. XIII*, 8. Videntur autem hæ prædicationes formalibus eſſe accenſendæ. Subjectum enim (*Chriſtus*) eſt concretum perſonæ, h. e. perſonam compoſitam ex duabus naturis ſignificat, quatenus ex illis compoſita eſt. Unde ſive ipſi tribuantur, quæ divinæ, ſive quæ humanæ naturæ propria ſunt, nihil horum καῖ ἄλλο, ſed omnia *formaliter* competunt.

76. Id tamē & his *formalibus* & iſtis καῖ ἄλλο prædicationibus commune eſt, quòd Scriptura utrique earum generi ſæpe addit particulas διακριτικὰς, quibus natura, ſecundū quā prædicatum ſuppoſito competit, ſpecificatur. Id quod utrobique aliquando neceſſarium eſt, ſeu ad evitandā naturarum confuſionem, ſeu ad removendam contradictionem. Ita cum Paulus dicit *Rom.* 1. *Filium Dei factum eſſe ex ſemine*

David

David ſecundum carnem; eſt prædicatio καθ' ἄλλο, ſed cum particulâ diſtinctivâ κατὰ σάρκα, *ſecundum carnem.* Cui æquipollet illud ad Gal. IV. *Filium* Dei *factum eſſe ex muliere*: ubi per additamentum (*ex muliere*) nativitas quoque ad humanam naturam reſtringitur, ſi quidem ex muliere non niſi homo naſci poteſt. Et huic geminum eſt iſtud *Joh. I. Verbum caro factum eſt.* Similiter prædicationibus formalibus *de Chriſto* additas legimus particulas διακριτικὰς Rom. IX, 5. *Chriſtus eſt ex patribus ſecundum carnem.* Et 1. Petr. IV, 1. *Chriſtus eſt paſſus pro nobis in carne.* Maximè autem opus eſt particulis diſtinctivis, cùm in eodem & continuo contextu contraria de Chriſto enunciantur, veluti I. Petr. III, 18. *Chriſtus eſt mortificatus carne, vivificatus ſpiritu.* Et II. Cor. XIII, 4. *Chriſtus crucifixus fuit ex infirmitate, ſed vivit ex virtute Dei.*

77. Atque hæc hactenus de primo cōmunicationis idiomatum genere. Secundum genus, quod alii tertium numerant, dicitur [I] comparatione *naturarum in abſtracto*, & [II] *in communione majeſtatis* conſiſtit, puta quòd humana Chriſti natura in abſtracto, vi unionis perſonalis cum divinâ naturâ, particeps eſt facta totius majeſtatis divinæ.

78. *Majeſtas*, dicta quaſi *major poteſtas*, *dignitas* & *gloria*, καθ' ἐξοχὴν Regi vel Principi tribuitur, in quo tria illa ſunt ſumma; maximè autem Deo, in quo ſunt infinita & immenſa. Ei in N. T. reſpondet vox μεγαλωσύνη, quâ & ipsâ nihil aliud ſignificari videtur, quàm μεγάλη δύναμις, ἀξία καὶ δόξα, ut *Heb. I, 3.* & *Cap. VIII, 1. Iud. 25.* Niſi planè eodem, non tamen multùm abludente ſignificatu uſurpatur vox μεγαλειότης *Luc. IX, 43. II. Pet. I, 16.* Quamobrem cum *Majeſtatem Divinam* humanæ Chriſti naturæ communicatam eſſe docent Scholæ noſtræ, nihil aliud intelligunt, quàm *ſummam Dei poteſtatem, dignitatem, & gloriam* ei communicatam

eſſe. Quo ſenſu Angeli *Apoc. V*, 12. *agnum mactatum dignum* prædicant, *qui accipiat* δύναμιν καὶ ἰσχὺν καὶ τιμὴν καὶ δόξαν.

79. Et primò quidem *ſummam Dei poteſtatem* humanæ Chriſti naruræ communicatam eſſe, ex pluribus Scripturæ locis liquidò conſtat. Ἐδόθη μοι πᾶσα ἐξουσία ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ γῆς, ait ipſe ſervator Matth. XXVIII. Diſtinguuntur aliàs ἐξουσία & δύναμις, tanquam *facultas moralis*, & *potentia Phyſica*. Jus & licentiam illa, hæc vires agendi addit: ab hac, ut poſſis agere, eſt; ab illâ, ut liceat, ut jure agas, ſive ut nullo jure prohibearis. Hominibus ſæpè una ſine altera competit; dum alius quod licet, non poteſt; alius quod poteſt facere, non licet: quorum utrumque imperfectionis eſt. At Deo enti perfectiſſimo quorumcunque faciendorum ἐξουσία, eorum & δύναμις convenit, & vice versâ. Itaque cùm Chriſto communicata eſt ſumma Dei poteſtas, ἐξουσία unà cum δυνάμει communicata eſt, ſicut hæc duo junctim ipſi attribuuntur *Luc.* IV, 36. Neque obſtat, quod *l. ſupra cit.* & in aliis pluribus ſolùm ἐξουσία habetur: hoc enim ipſo, quòd *à Deo data*, & ſic divina eſſe poteſtas ſubinnuitur, indirectè & obliquè δύναμιν connnotat, eoque magis, quòd πᾶσα ἐξουσία dicitur, & *ad cœlum terramq́;* extenditur, ſub quâ univerſalitate nec eſſe nec concipi poteſt, ſine ſufficiente δυνάμει. Sicut è contrario cum Deo vel Chriſto δύναμις tribuitur, indirectè & obliquè ἐξουσίαν connotat, ut *Apoc. V*, 2. ubi δύναμις, ἰσχὺς καὶ κράτος eodem ferè ſenſu conjunguntur. Atque adeò apud Matthæum l. c. utrumque ſibi datum prædicat Chriſtus, & *poſſe omnia facere*, & *omnia ſibi licere*, ut & ἀνυπεύθυνος ſit, & παντοκράτωρ καὶ παντοδύναμος.

80. Sæpius Chriſto homini *ſumma poteſtas*, non ſub hac appellatione; ſed ſub deſcriptione quadam ſuâ aſſeritur, puta quòd *ſub pedes ipſius ſubjecta ſint omnia*, I. Cor. XV, 27, 28. quod

28. quòd *conſtitutus ſit caput ſuper omnia ipſi Eccleſiæ*, Eph I, 22. *ſupra omnem principatum & poteſtatem & virtutem & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non ſolùm in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro* ibid. v. 21. Aliquando ſub expoſitione *regiæ poteſtatis* ac *regni* ipſi vindicatur, ut Dan. VII, 13. 14. Luc. I, 33. Sæpiſſimè autem ſub mentione *ſeſſionis ad dextram Dei Patris*, quæ & ipſa inde *dextra majeſtatis in excelſis* dicitur Hebr. I, 3. & *dextra throni majeſtatis in Cœlis* Hebr. VIII, 1. item *dextra potentiæ Dei* Matth. XXV, 64. Marc. XIV, 62. Luc. XXII, 69. Confer *Pſalm. CX, 1. Rom. VIII. 33. Eph.* I, 20.

81. Nec in ſcriptura tacentur ſpeciales poteſtatis Chriſti rationes, quæ quaſi partes ejus ſunt, ſecundum diverſam habitudinem objecti & finis. Ipſe Servator ejectione dæmoniorum probavit, quanta ſibi in illa eſſet poteſtas: quam admirati homines dicebant: *Quid hoc rei eſt, quòd* ἐν ἐξουσίᾳ καὶ δυνάμει *imperat immundis ſpiritibus, & exeunt?* Luc. IV, 36. Alibi Chriſtus ex donatione Dei Patris ſibi vendicat ἐξουσίαν πάσης σαρκὸς, *poteſtatē in omnem carnem*, i. e. in omnes homines, non quòd in alias creaturas non æquè, ſed quòd in homines ſpeciali ratione & fine eam obtinuerit; cumprimis autem quod fideles attinet, ἵνα δώσῃ αὐτοῖς ζωὴν αἰώνιον, *ut det eis vitam æternam*. Joh. XVII, 2. Huic autem fini ſicut ſubordinati ſunt alii, velut remiſſio peccatorum, & extremum judicium: Ita horum quoque poteſtatem ſibi aſſerit Servator. Vox enim ejus de remiſſione peccatorum eſt: *Poteſtatem* (ἐξουσίαν) *habet Filius hominis in terra remittendi peccata*. Matth. IX, 6. Et de extremo judicio: *Pater poteſtatem* (ἐξουσίαν) *dedit filio etiam judicium exercendi, quatenus filius hominis eſt*, Joh. V, 27.

82. Ne verò dum adducta loca omnia de Chriſto in con-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

creto loquuntur, ſumma ei poteſtas ſecundum divinam naturam data intelligatur: en! pervagatiſſima regula Theologorum: *Quæcunque Chriſto data ſunt in tempore. ſecundum humanam naturam data ſunt.* Secundum divinam enim naturam nihil ei in tempore dari & accedere potuit, cùm ſecundum illam ab æterno, ut ejuſdem eſſentiæ cum Deo Patre, ſic æqualis majeſtatis, poteſtatis & gloriæ exiſtat. In commemoratis autem locis de datione quadam ſive communicatione temporali ſermonem eſſe, ipſe contextus loquitur. Itaque in iis omnibus ſubintelligenda, & ſicubi opus, exprimenda eſt particula διακριτικὴ, quâ datio poteſtatis ad humanam naturam reſtringatur. *Mihi*, inquit Chriſtus, (ſubintellige ſecundum *carnem*) *data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terrâ.* Imò expreſsè hujusmodi reſtrictio eſt addita Joh. V, 27. ubi dicitur, P*ater poteſtatem dediſſe filio etiam judicium exercendi*, ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου ἐστὶ, *quatenus filius hominis eſt.*

83. In tanta autem poteſtatis communione ne confundantur naturæ aut exæquentur: en! geminum earum diſcrimen: (I) Divinæ naturæ ea poteſtas *per eſſentiam* competit; humanæ, *per unionis gratiam.* (II) Secundum divinam naturam Chriſtus *planè nemini eſt ſubjectus*, cum Deo & Divinitate nihil ſit ſuperiùs; ſecundum humanam, etſi nulli creaturæ, *Deo tamen ſubjicitur*, I. Cor. XV, 28. Neque tamen propterea Chriſtus, quà homo eſt, reſtrictam & definitam habet poteſtatem, ſed in tantum infinitæ & ſummæ ac planè divinæ poteſtatis eſt particeps, in quantum ſecundum humanam naturam æquè ac ſecundum divinam [licet dependenter à Divinitate, & ſic à Patre ſuo, quo ſenſu *Patrem ſe majorem* prædicat *Ioh. XIV, 28.*) omnibus creaturis dominatur.

84. Secundò ſub *Maieſtatis* voce, quoque *ſummam Dei*

digni-

dignitatem, i. e. illam excellentiam intelligimus, quam Deo attributa & perfectiones divinæ conciliant. Et hac notione eam æquè carni Chriſti communicatam eſſe, abundè docet Scriptura. Paulus omnia dignitatis momenta unâ quaſi voce complexus ait: *In ipſo* (Chriſto) *inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter* Col. II, 9. Quid per πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος, niſi complexum omnium Dei perfectionum & attributorum intelligit? & ne ad divinam naturam trahatur, additâ particulâ σωματικῶς dicit, *inhabitare in Chriſto corporaliter*, i. e. ſecundum aſſumtum corpus, ſive in Chriſti corpore & carne: ut multi exponunt. Tum etiam Chriſtus de ſemetipſo ait Matth. XI, 27. *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo*: hoc autem dixit prædicans conſilium, potentiam & gloriam Dei Patris, ut hæc & alia Majeſtatis momenta ſibi eſſe communicata ſignificaret. Præterea *Deus filium conſtituit hæredem omnium* Hebr. I, 2. Ergo & eorum, in quibus divina excellentia conſiſtit. Dici autem hoc de Chriſto ſecundum *humanam naturam*, ex contextu liquet.

85. Duplicia autem Dei attributa ſunt: quædam ἐνεργητικὰ, & illa vel PHYSICA, ut *omnipotentia* & *omniſcientia*; vel MORALIA, ut *ſanctitas*, *juſtitia*, *miſericordia*, *veracitas*: quædam ἀνενεργητικὰ, ut *æternitas*, *immenſitas*, *infinitas*, *independentia*, & ſuo modo *omnipræſentia*.

86. Communicata eſſe ἐνεργητικὰ omnia, tam Phyſica quàm Moralia; non ampliùs eget probatione, poſtquam ex Scriptura jam didicimus, Chriſto *datam eſſe omnem poteſtatem in cœlo & in terra* Matth. XXVIII. in ſpecie *poteſtatem exercendi judicii* Joh. V, 27. Quandoquidem hujusmodi poteſtas ſine attributis ἐνεργητικοῖς ſibi non conſtat.

87. Et primum quidem de Phyſicis perfectionibus, *omnipo-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

potentiâ & *omniſcientiâ*, res eſt evidens. Quomodo enim Chriſtus cœlo & terræ dominaretur, niſi eſſet *omnipotens?* aut quomodo ſupremi judicis officio fungeretur, niſi uſque adeò *potens* foret, ut omnes mortales ex omnibus mundi angulis congregare; & uſque adeò *omniſcius*, ut omnia abſcondita in lucem proferre poſſet?

88. Aliàs Chriſti hominis omnipotentia eò quoque adſtruitur, quòd *ſuſtineat omnia verbo potentiæ ſuæ* Heb. I, 3. & quòd *potens ſit omnia ſibi ſubjicere* Eph. III, 21. In ſpecie autem *vis vivificandi*, quæ magna omnipotentiæ portio eſt, ipſi tribuitur Joh. V, 21. *Sicut Pater ſuſcitat mortuos & vivificat: ita & Filius, quos vult, vivificat:* Neque tantùm *vis dandi vitam temporalem*, quam mortuorum reſuſcitatione, & inveteratorum morborum ſubitâ curatione ſat demonſtravit; ſed & *conferendi vitam ſpiritualem & æternam*, quam carni ſuæ ſub metaphoricâ appellatione *vivi panis* manifeſtò vindicat *Joh.* VI, 51. Cujus in Euchariſtia præſentiſſimum ſpecimen antiqui Patres laudant. Vide Irenæum *libr. V. cap.* 2. & Cyrillum Alexandr. *l.* II. *in Joh, & in poſtrema Epiſt. ad Neſtor.* item *anathem.* II.

89. Neque carnis ſuæ efficaciæ Chriſtus quicquam detractum voluit his verbis: *Spiritus eſt; qui vivificat: caro non prodeſt quicquam.* ibid. verſ. 63. Aut n. ſub nomine *carnis*, in oppoſitione ad *ſpiritum*, carnalem intelligentiam diſcipulorum caſtigavit; aut ſi de *ſuâ carne* locutus, eam ex *ſe* & *naturâ ſua* (habet enim omnem vim ex unione perſonali) *nihil prodeſſe* ſignificavit. Quorum hoc quidem Cyrillo Alexandrino, & S. Bernhardo; illud Tertulliano & Auguſtino, nec minus Cyrillo, aliiſque placet.

90. Sed & omniſcientiam Chriſto adſcribit S. Johannes, dum *plenum veritatis* prædicat *Joh.* I, 14. quod nihil aliud eſt, quàm

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

quàm adeò omnis veri ſcientiâ abundare, ut nulla ad eam fieri poſſit acceſſio. Loqui autem ipſum de Chriſto *ſecundum humanam naturam*, ipſe contextus docet. Inſignis quoque eſt locus *Col.* II, 3. *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & notitiæ abſconditi.* Nonnulli particulam (*in quo*) ad *myſterium Dei ac Patris & Chriſti*, cujus ſub finem præcedentis verſiculi commendatur agnitio, id eſt, ad *Evangelium* referunt. At cum *Chriſti* proximè fiat mentio, & verba ipſi potiori jure, quàm evangelio congruant: non abs re alii de Chriſto accipiunt.

91. Neque omniſcientiæ ſuæ ſervator quicquam detraxit, quòd cum in his terris ageret, *negavit, ſe ſcire diem & horam extremi judicii* Marc. XIII, 14. Aut enim id dixit, reſpiciendo ad *naturalem intellectus humani ſcientiam*, ſeclusâ illâ, quam habebat ex unionis gratia; aut ex tenore divinæ legationis, quòd licet ſibi diem & horam judicii ſciret, tamen ut legatus Dei neſciret aliis, negatâ revelandi poteſtate. Hic ſenſus pluribus antiquorum placet: ad illum accommodatè ſcribit Damaſcenus l. III. cap. XXI. *Quippe humana natura, ſecundum eſſentiam, futurorum notitiam non poſſidet; verum Domini anima, propter unitionem cum ipſo Dei Verbo, & ob hypoſtaticam identitatem, unà cum aliis ſtupendis Divinitatis miraculis, etiam futurorum cognitione ditata eſt.*

92. Præterea quòd *ætate & ſapientiâ profeciſſe* dicitur Luc. II, 52. hoc non intelligendum de *habitu* ſapientiæ, ſed de *uſu*; ſive non de *actu primo* (ſic enim ab utero communicatam habuit omniſcientiam) ſed de *actu ſecundo*, puta quòd ſicut procedente ætate organa ad uſum omniſcientiæ divinæ aptiora & confirmatiora accepit, ſic ſapientiæ & ſcientiæ ſuæ luculentiora indicia aliis dederit. Quam in ſententiam Theodoretus *libr. V. de hæret. fab. cap. XIII.* ſcribit: *Meritò cum ætatis incremento coniunxit profectum ſapientiæ.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

tiæ. Nam pro menſura ætatis corporeæ divina natura propriam revelabat ſcientiam. Et Damaſcenus *l.* III. *cap.* XXII. modum proficiendi ſic interpretatur, quòd *cum ætate ſapientiam, quæ ipſi inerat, in apertum promeret.*

93. Moralium Dei perfectionum par eſt neceſſitas, cum ad gubernandum Eccleſiam & univerſum terrarum orbem, tùm ad exercendum judicium. Neque enim ſanctitatem, inſtar capitis, in membra Eccleſiæ, à ſe poteſt diffundere, qui non ipſe ſit *ſanctus* & ἀναμάρτητος; neque æterna à ſceleratis ſupplicia dignè exigere, qui non ſit *ſummè iuſtus*; neque reſipiſcentibus æternas pœnas condonare, qui non ſit *infinitè miſericors*; neque comminationum & promiſſionum fidem inconcuſsâ ſtabilitate implere, qui non ſit pariter ac Deus *verax.* Ut taceamus, manifeſtis quoque ſcripturæ teſtimoniis ea Chriſto ſecundum humanam naturam aſſeri.

94. Major verò de communicatione earum perfectionum difficultas eſt, quæ ἐνεργείᾳ deſtitutæ, non tantùm humanæ CHRISTI naturæ ad uſum exercitiumque ſummæ poteſtatis nihil conducunt, ſed & ipſi per eſſentiam ac formalem rationem penitus repugnant, ut *æternitas, immenſitas, independentia, ſimplicitas.* Nonnulli hæc attributa ſtatuunt eſſe communicata κτήσει tantùm; ſed priora, quæ ἐνεργητικὰ diximus, etiam χρήσει. At fortè illa quoque, quantumvis ex ſe & naturâ ἀνενεργητικὰ, aliquid ad uſum & operationẽ cõferunt, ſaltem *indirectè*, & *mediante alio attributo.* Etſi v g. *æternitas* & *immenſitas* directè & formaliter non ita reſpiciunt uſum, ſicut *potentia*; cum tamen potentia Dei ſit æterna & immenſa, hoc ipſo nobilior ejus eſt operatio, quàm ſi non æterna, aut non immenſa eſſet.

95. Non abs re itaque dixeris, omnium attributorum

poſſeſ-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

poſſeſſionem eſſe communicatam *propter uſum*, ſi non directè & immediatè; indirectè tamen, & mediante alio attributo: Cùm quia aliâs omnis poſſeſſio propter uſum eſt; tùm quia tota Chriſti majeſtas ἐνεργητικὴ eſt, veluti ad gubernationem Eccleſiæ & mundi, extremumque judicium apprimè comparata. Quanquam ſi uſum hunc procul habeas, & majeſtatem divinam præcisè pro *dignitate & excellentia Dei* accipias, nuda etiam attributorum poſſeſſio carni Chriſti maximam dignitatem ac majeſtatem addit. Quod ſi enim in hypoſtaſin alicujus angeli eſſet adſumta, cui neque æternitas, neque immenſitas, neque ulla alia infinita perfectio competit: haud dubiè innumeris partibus eſſet inferior, quàm in Chriſto eſt, ubi in naturæ æternæ & immenſæ, & conſequenter in ipſius æternitatis & immenſitatis conſortium eſt adſcita.

96. Magna quoque Majeſtatis divinæ portio eſt *omnipræſentia*, ut vel inde patet, quòd majoris eſt perfectionis, præſentem, quàm abſentem omnia gubernare & conſervare. Tribus autem modis Deus eſt ubique præſens: (I) *per operationem* (II) *per potentiam*: qui duo modi coincidunt: hoc enim ipſo Deus ubique eſt præſens per potentiam, quòd ubique per eam operatur (III) *per ſubſtantiam*, puta quòd ſubſtantiâ quoque ſuâ omnia implet, dum ſecundũ illam omnibus creaturis, in quibus operatur, & effectibus, quos producit, ἀδιαστάτως coexiſtit. Id quod partim ex ſcripturà, partim ex lumine naturæ notum hîc præſupponitur.

97. Sed & humanam Chriſti naturã ubique eſſe præſentem *per operationem*, ſatis ex eo intelligitur, quòd ex unione perſonali communicatam habet omnipotentiam, quâ æquè ac divina natura ubique operatur. Eſſe autem ubique

præſentem *per ſubſtantiam*, res difficilioris eſt probationis.

98. Primò id quidem certum eſt ex Chriſti promiſſione, quòd licet in cœlos adſcenderit, ſuum tamen corpus reverà & ſecundum ſubſtantiam in his terris, ubicunque Euchariſtia celebratur, & ſic in pluribus ac longè diſſitis locis, eodem tempore, præſens exhibeat. Deinde extat quoque ipſius ad Apoſtolos, & in his ad Eccleſiam, dulcis promiſſio *Matth. XXVIII. Ego ſum vobiſcum uſque ad conſummationem ſeculi.* Dixerat hoc, jam in cœlos adſcenſurus, ut contra diſceſſum ſuum eos ſolaretur: quaſi dicturus: Etſi ſecundum carnem meam poſthac viſibiliter vobiſcum non ero, inviſibiliter tamen ſecundum illam quoque *vobiſcum ſum* (& cooperor) *usque ad conſummationem ſeculi.* Et impletam ſtatim eſſe hanc promiſſionem, poſt Chriſti in cœlos adſcenſum, docet Marcus *Cap. & verſ. ult. Illi verò profecti prædicarunt ubique, Domino cooperante* (& ſic præſente inviſibiliter.)

99. Ex quibus jam ſequitur, non repugnare humanæ Chriſti naturæ, ubique præſentem eſſe, ſi in pluribus ac longè diſſitis Euchariſtiæ & Eccleſiarum locis eſt præſens. Accedit, quòd ſi in totius Majeſtatis divinæ conſortium adſcita eſt, non potuit ei denegari omnipræſentia. Denique univerſaliſſima ſunt dicta: *Omnia & in omnibus eſſe Chriſtum.* Col. III, 11. *implere omnia* Eph. IV, 10. *Omnia in omnibus adimplere* Eph. I, 22. Quæ etſi accipi poſſunt de omnipræſentia *per potentiam & operationem*, ne tamen citra neceſſitatem ſenſus ſcripturæ reſtringatur, noſtri Theologi ampliant & extendunt quoque ad *omnipræſentiam ſubſtantiæ carnis Chriſti.*

100. Notandum autem obiter eſt, communicationem eſſe ejusdem numero attributi. Sicut illa ipſa omnipotentia, quæ divinæ naturæ propria eſt, communicata eſt humanæ

næ

næ naturæ. At non æquè una eſt utriusque omnipræſentia, ut vel inde patet, quod eâ voce in caſu recto denotatur *exiſtentia* naturarum, cum connotatâ indiſtantiâ ad *coexiſtentes omnes creaturas*: ſed *exiſtentia* cujusque quoad rem idem eſt, quod ejus *eſſentia*; & conſequenter ſi una eſſet omnipræſentia divinæ & humanæ naturæ, una utriusque foret eſſentia: quod Eutychianæ hæreſi affine eſt.

91. Id autem inter divinam & humanam naturam intereſt, quòd illi quidem omnipræſentia *ex immenſitate*, & ſic *neceſſariò* competit, præſuppoſitâ mundi creatione: huic verò, ut *voluntarius communicatæ omnipotentiæ effectus*. Quod enim Chriſtus carnem ſuam poſſit ubique præſentem ſiſtere, hoc debetur communicatæ *omnipotentiæ*: quòd verò actu ubique præſentem exhibeat, *voluntatis* eſt, & arbitrarii omnipotentiæ usûs.

102. Fundamentum, ut ſuprà in primo genere, ita & hîc eſt unio perſonalis. Neque obſtat, quòd ubicunque Chriſtus ſibi quà homini divinam poteſtatem ac majeſtatem aſſerit, à Patre eam eſſe datam fatetur. Ratio enim hujus loquendi modi eſt gemina: (I) quòd Chriſtus, etiam quà Deus ac Dei filius, per æternam generationem omnia majeſtatis momenta à Deo Patre habet. (II) quòd in tempore quoq; ex voluntate Dei Patris carnem ſibi perſonaliter univit. Hac duplici de cauſa meritò Deo Patri acceptum refertur, quicquid per unionis gratiam carni Chriſti competit.

103. Non autem ſicut in primo genere, ita & hîc unio perſonalis ἀντίδοσιν, ſive *reciprocam communicationem* fundat, ob diverſum, quo hîc & ibi ſumitur, reſpectum. Ibi reſpectu *entis tertii*, quod ex duabus naturis componitur, hîc *in ipſis naturis* conſideratur. Priori modo formaliter θεάν-

θεωπον ſive unam perſonam conſtituit, quæ ſimul *Deus & homo* eſt; & hoc ipſo efficit, ut quicquid Dei eſt, homini, & quicquid hominis eſt, Deo ſit communicatum. Poſteriori reſpectu unio perſonalis non ita ſe habet ex parte divinæ, ſicut ex parte humanæ naturæ, neque eodem modo comparata eſſe poteſt, quia altera infinita & immutabilis, altera finita & mutabilis natura eſt; quò fit, ut huic quidam unio inſit *ſubjectivè*, ſive tanquam ſubjecto; illam verò tantùm *ut terminum* reſpiciat. Et inde eſt, quòd proprietates quidem divinæ naturæ carni, ſed non viciſſim hujus proprietates illi ſunt communicatæ. Neque enim per unionem utrumque extremorum promiſcuè, ſed illud & eatenus perficitur, quod & quatenus unionis ſubjectum eſt. Sicut igitur divina natura hoc ipſo, quod infinita & immutabilis eſt, non poteſt eſſe ſubjectum unionis: ita nec per eam quicquam vel perfectionis vel imperfectionis ſibi acquirit.

104. Prædicationes, quæ in hoc communicationis genere fundantur, illæ ſunt, quibus attributa divina de humanâ Chriſti naturâ in abſtracto, ſub vocibus denominativis, enunciantur. Ita *caro Chriſti* (à communicatâ vi vivificandi) *vivifica* denominatur Joh. VI, 51. Non quidem hæc prædicatio expreſsè ibi continetur, ſed tamen per conſequentiam ex eo loco colligitur. Verba ita habent: *Ego ſum panis ille vivus, qui è Cœlo deſcendi: ſi quis ederit ex hoc pane, vivet in æternum. Panis autem, quem ego dabo, caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vitâ.* Unde ita argumentamur: *Panis* (l. c. ſervatori memoratus) *eſt vivus*, id eſt, *dat vitam mundo* (ut verſ. 33. redditur) *& qui ederit ex eo, vivet in æternum.* Sed *caro Chriſti eſt panis* (l. c. ſervatori memoratus) Ergo *caro Chriſti eſt viva*, id eſt, *dat vitam mundo, & qui eum comederit, vivet in æternum.*

105. No-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

105. Notandum autem hîc eſt, id quod rectè dicitur de *carne Chriſti* in abſtracto, idem quoque de *Chriſto* in concreto prædicari, ſed ne ſenſus immutetur, expreſsâ aut ſubintellectâ particulâ διακριτικῇ, quâ nihilominus prædicatum ad carnem Chriſti accommodetur. Ita l. c. Chriſtus ſemel de ſe ipſo in concreto dicit: *Ego ſum panis ille vivus*; Et rurſus in abſtracto: *Panis quem ego dabo, caro mea eſt*. Ex hac propoſitione exponenda eſt illa, ſubintellectâ particulâ diſtinctivâ (*ſecundum carnem*) ut ſenſus ſit: *Ego ſecundum carnem meam ſum panis ille vivus*. Intelligendum autem hoc eſſe, non de cauſa meritoriâ & morali vitæ æternæ, ſed de phyſicâ vivificandi potentiâ, ex contextu intelligitur.

106. Utrum autem omnia attributa, an quædam tantùm dicto modo prædicentur, diſſentiunt inter ſe Theologi, quanquam non tam re, quàm verbis. Hi dum omnia; alia *immediatè*, alia *mediatè* prædicari ajunt: Illi dum non omnia; de ſola *immediatâ* prædicatione loquuntur. Vocant autem prædicationem *immediatam*, comparatione attributi, à quo ipſa humana natura denominatur, ſicut ab omnipotentia *omnipotens*, à vi vivificandi *vivifica*. Dicunt è contrario *mediatam*, reſpectu attributi, à quo humana natura denominari nequit; denominatur autem ab eo aliud attributum, & ab hoc viciſſim humana natura. Ita *æternam & immenſam* non dicimus humanitatem ſive carnem Chriſti: at quia eſt v. g. *omnipotens*, & *omnipotentia eſt æterna & immenſa potentia*; hinc ipſam *carnem eſſe omnipotentem potentiâ æternâ & immensâ*, rectè dicimus.

107. Cur autem non omnia ἀμέσως prædicentur, cùm tamen omnia æquè ſint communicata, cauſa eſt, quòd quædam humanæ naturæ ſimpliciter repugnant. In tantum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

quidem omnia repugnant, in quantum quoad rem idem ſunt cum infinitâ eſſentiâ DEI. At quatenus quædam connotant aliquid, cujus humana natura eſt capax; quædam tale quid non connotant: eatenus illa non repugnare, hæc ſimpliciter repugnare dicimus. Ita *omniſcientia* actum ſciendi, & *omnipotentia* actum extra ſe operandi connotat: utriusq; autem humana natura eſt capax: æquè enim omnia ſcit, & omnia extra ſe quæ vult operatur, ac divina natura. Eaque de causâ *omnipotentem & omniſciam* eam dici, non repugnat. At dici *æternam*, *& immenſam*, ſimpliciter eſt ἀσύστατον, quia *æternitas* & *immenſitas* planè nihil connotant, cujus humana natura ſit capax, adeoque ex tota ſuâ formali ratione illi repugnant.

108. Res autem ipſa loquitur, ab attributis prædicabilibus non eodem ſenſu humanam ac divinam naturam denominari. Græci Patres, cùm utramque naturam *vi vivificandi* pollere agnoſcerent, hoc tamen intereſſe crediderunt, quòd *divina natura* καθ' ἑαυτὴν, *humana* κατ' ἄλλο *vivificaret*: perinde ut ferrum ignitum, quâ ſimilitudine frequenter ſunt uſi, ſplendet & urit, οὐ καθ' ἑαυτὸ, ἀλλὰ κατ' ἄλλο, id eſt, non virtute propriâ & ingenitâ, ſed ab unito & undique permeante igne communicatâ. Pluribus, ſed eandem in ſententiam diſcrimen exponit B. Chemnitius *libr. de duab. nat. cap. XXIII. Divina natura* τοῦ λόγου, inquit, *eſſentialiter ſeu per eſſentiam, in ſeipſa, & ſecundum ſe, per ſeipſam, naturaliter,* τῷ εἶναι, *eſt vivifica, omnipotens, omniſcia &c. Imò eſt ipſa vita & omnipotentia. Aſſumta verò humana natura in Chriſto nequaquam eſſentialiter ſeu per eſſentiam, in ſeipsâ, aut per ſeipſam, naturaliter, aut formaliter &* τῷ εἶναι *eſt vivifica aut omnipotens, ſed* τῷ ἔχειν, *quia ſcilicet perſonaliter unitam ſibi habet divinam Majeſtatem ac potentiam* τοῦ λόγου, *& illa uniti*

verbi

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

verbi virtute vivificat, omnia ſcit & poteſt, ſicut ferrum ignitum virtute uniti ignis candet & urit.

109. Ex ordine & claſſe attributorum prædicabilium eſt quoque *omnipræſentia.* Etſi enim, quatenus divinæ naturæ tribuitur, in caſu recto eſt *exiſtentia*, & ſic *ipſa eſſentia* ejus; connotat tamen *indiſtantiam ab omnibus creaturis*, cujus æquè humana natura eſt capax.

110. Differt autem à reliquis attributis prædicabilibus, quòd cum ab his *iisdem numero*, v. g. ab *eâdem omnipotentiâ* denominatio utrique naturæ tribuatur, *alia* tamen & *propria* utriuſque ſit omnipræſentia, hoc ipſo, quòd propria utriusque eſſentia, & ſic exiſtentia eſt. Quo fit, ut humana natura æquè ac divina *formaliter* & τῷ εἶναι ſit omnipræſens, hoc uno diſcrimine, ut hæc *ex immenſitate*, & ſic *neceſſariò*; illa *non neceſſariò*, ſed *arbitrario communicatæ omnipotentiæ uſu* omnipræſens eſſe intelligatur: id quod ſuprà etiam th. 101. inſinuatum eſt.

111. Denique ſub voce *Majeſtatis*, ſumma quoque DEI *gloria* Chriſto vindicatur. Dupliciter autem gloria divina conſideratur: (I) καθ' ἀξίαν, ſive prout DEUS gloriâ aut glorificatione eſt dignus: (II) καθ' ἐντελέχειαν, ſive prout actu glorificatur. Priori modo *in DEO*, & illa quidem *excellentia* eſt, quam DEO attributa ſua conciliant; neque adeò à majeſtate hactenus explicatâ differt, niſi quòd unà connotat *actum glorificandi*, quo ob illam excellentiam ſuam DEUS eſt dignus. Poſteriori modo eſt ipſe *glorificandi actus* i. e. cultus & honor, quem creaturæ rationales DEO ob ſuam majeſtatem & excellentiam exhibent, dum videlicet illum ſuper omnia colunt, & adorant. Quomodo gloria *extra DEUM*, & ſic à majeſtate ipſius diſtinctum quid eſt, licet ab hac radicaliter oriatur.

112. Sicut

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

112. Sicut autem DEUS pluribus actibus glorificatur, ita & gloria divina Chriſto homini non eadem ubique voce vel phraſi tribuitur, ſed aliquando ſub verbo *honorandi* (τιμᾶν) ut Joh. V, 23. Nonnunquam ſub ritu *flexionis genuum*, ut Phil. II, 10. Aliâs ſæpe ſub verbo *adorandi* (προσκυνεῖν) ut Hebr. I, 6. Joh. IX, 38. Matth. II, 11. Tum ſub verbo *invocandi* (ἐπικαλεῖσθαι) Rom. X, 14. Act. II, 21. Quin & *fides in Chriſtum*, quæ paſſim in ſcripturâ præcipitur, actus cultûs divini eſt. Dici autem iſthæc omnia de Chriſto, etiam *quà homine*, ſive *ſecundum humanam naturam*, ubique ex contextu nullâ difficultate intelligitur.

113. Neque obſtat, quòd in ſcriptura ſoli Deo cultus religioſæ adorationis vindicatur, quod ipſe Servator contra tentatorem Satanam confirmat divino præcepto ex *Deut. VI*, 13. & *cap*. X, 20. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies*. Hoc enim eodem modo intelligitur, quo *ſolus Deus ſapiens* & *ſanctus* prædicatur, ut *I, Tim.* I, 17. *Judæ* v. 25. *Apoc. XV*, 4. puta quòd *per ſe* & *per eſſentiam* ſolus Deus eſt ſapiens & ſanctus; nihilominus autem *per unionis gratiam* etiam Chriſtus, quà homo, & humana ejus natura, ſapientiæ & ſanctitatis eſt particeps. Ad eundem modum is, cui *per ſe* & *ex propriâ dignitate* cultus debetur, eſt ſolus Deus, ſed prout omnes tres perſonas divinas complectitur, & conſequenter etiam Chriſtus quà Deus eſt, ac divina ejus natura. Hoc tamen non vetat, quin *per unionis gratiam* etiam Chriſtus, quà homo, & humana ejus natura, in religioſæ adorationis cultusque conſortium adſciſcatur.

114. Id verò inter concretum & abſtractum intereſt, quòd Chriſtus in concreto eſt objectum *quod* cultus & adorationis, ſive quà DEUS, ſive quà homo, conſideretur; quia ſicut actiones agentis, & paſſiones patientis ſuppo-

ſiti

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

ſiti ſunt, ita & adoratio ſuppoſiti adorabilis eſt: Utraque autem natura eſt objectum *quo*, h. e. id *quo* mediante ſuppoſitum illud, quod eſt Chriſtus, adoratur & colitur.

115. Fundamentum Communionis cultûs & honoris divini eſt, quòd per unionem perſonalem caro Chriſti eſt *Dei caro, Deique hypoſtaticè propria.* Hinc quando Dominus ait *Eſa. XLVIII,* II. *Gloriam meam alteri non dabo*; per voculam (*alteri*) non excluditur *caro Chriſti*, quia licet non ſit Deus, eſt tamen Dei caro, ac natura Dei hypoſtaticè propria. Non autem cenſetur quis *alteri* dare, quod *propriæ naturæ* impertit, veluti quod homo dat ſuo corpori, vel animæ, vel partium integralium uni, ut manibus, vel pedibus, vel oculis. Quapropter nec Deus eò gloriam ſuam dat *alteri*, quòd in ejus conſortium *carnem ſuam, ſibique hypoſtaticè propriam* admittit. Daret autem eam *alteri*, ſi *idolis* daret, quæ etiam præcipuè *l. c.* redarguuntur, ut ex *v. 5.* liquet.

116. Cauſa proxima eſt communicata majeſtas. Neque enim proximè ideò colitur caro Chriſti, quia DEI caro eſt, ſed quia hoc ipſo, quòd Dei caro eſt, majeſtatis divinæ facta eſt particeps. Unde in ſcriptura paſſim communio cultus divini in communionem majeſtatis reducitur. Sicut pars majeſtatis divinæ eſt poteſtas exercendi judicii: at verò *Pater omne judicium dedit Filio, ut omnes honorent Filium, prout patrem honorant* Joh. v. 22, 23. Eadem de cauſâ *donavit illi nomen, quod eſt ſupra omne nomen* (i. e. majeſtatem ſupremam) *ut in nomine Jeſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium & inferorum* Phil. II, 9, 10.

117. Non autem ſicut duæ in Chriſto naturæ coluntur & adorantur, ita duæ quoque ſunt adorationes: ſed potiùs quia unus eſt Chriſtus in duabus naturis, & una, ob quam adoratur, majeſtas; ideò una quoque adoratio eſt; licet ob

unitatem perſonæ & majeſtatis communionem ad utramque naturam, ſaltem ut ad objectum *quo*, dirigatur. Id quod ſatis perſpicuè inculcat Cyrillus *anathem. VIII*, approbante Synodo Epheſinâ: *Si quis dicere audet, hominem aſſumtum coadorari oportere unà cum Dei Verbo, & conglorificari, & coappellari Deum, tanquam alterum cum altero (hunc enim intellectum particula σὺν adjecta perpetuò & neceſſariò affert) & non potiùs unâ adoratione Emmanuelem honorat, unamque illi glorificationem attribuit, anathema ſit.* Quibus gemina habet Synodus œcumenica quinta *Can.* IX. *Si quis adorari in duabus naturis Chriſtum dicit, ut duæ adorationes introducantur, una quæ ſeorſum Deo Verbo, & altera quæ ſeorſum homini conveniat; neque unâ adoratione Deum, Verbum incarnatum, cum propriâ ejus carne adorat, ſicut Dei Eccleſiæ traditum eſt ab initio, anathema ſit.*

118. Atque hæc hactenus de carnis Chriſti majeſtate, & quæ illi conjuncta eſt, adorationis & cultûs divini gloriâ. Nunc ut de illius quoque uſu & exercitio quædam adſpergamus, ſciendum ante omnia eſt, non uſum cum communicatione cœpiſſe. Communicata enim carni Chriſti eſt majeſtas, à primo conceptionis momento, nec potuit non communicari, præſuppoſitâ unione perſonali: at ſicut arbitrarius erat uſus, ita vices exercitii & omiſſionis habuit. Et eatenus quidem duplex Chriſti Status conſtituitur; *exnanitionis* unus, alter *exaltationis*: uterque, ut oppoſita juxtà ſe poſita magis eluceſcant, ſub ipſis *exinaniendi* & *exaltiandi* verbis explicatur *Phil. II*, 11, 12.

119. *Status exinanitionis* eſt, in quo fuit Chriſtus ſecundum humanam naturam à conceptione & nativitate ſua uſq; ad glorioſam reſurrectionem. Auctor Epiſt. ad Hebr. *dies carnis Chriſti* appellat, *Cap. V*, 7. Exinanivit autem ſe Chriſtus, non abdicando ſe majeſtate in actu primo, ſive καθ' ἕξιν,

quod

quod fieri non poterat, ſuppoſitâ unione perſonali; ſed o-mittendo partim, quod majeſtati ſuæ conveniebat, partim quod infra eam erat, ſuſtinendo. Ita enim exponendus eſt Paulus l. c. *Cum eſſet in forma Dei, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemet ipſum exinanivit*, i. e. cùm eſſet e-jusdem cum Deo eſſentiæ & majeſtatis, non arbitratus eſt, ſe rapinam facere, aut quod Dei eſt, rapere, ſi Deo æqualem ſe gereret: ſed ſponte ſuâ ab iſthac gloria ad tempus abſtinu-it, & ita ſe geſſit, quaſi non eſſet Deo æqualis, omittendo majeſtatis uſum, & quæ infra majeſtatem divinam ſunt, ſuſti-nendo.

120. Et hactenus quidem generaliter Apoſtolus exina-nitionem Chriſti deſcripſit: mox ſpeciales ejus actus hos enarrat, (I) quòd *formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem ho-minum eſt factus*, i. e. ita planè ſe geſſit erga Deum, ſicut ſer-vus erga Dominum, dum ſimilis hominibus eſt factus, non modô ſecundum ſubſtantiam aſſumtæ carnis, ſed etiam (ſic nos quidem interpretamur) quoad aſſumendi modum; pu-ta quòd æquè ac alii homines, absque tamen virili ſemine, concipi in utero matris, formari, geſtari, tandem in lucem edi voluit. Confer locum *Hebr. II*, 14. (II) quòd etiam *habitu* (*σχήματι*) *inventus eſt ut homo*, i. e. quoad externas pro-prietates & actiones humanas, dum educatus *crevit ætate & ſapientia* Luc. II. *habitavit inter homines* Joh. I, 14. ambulavit de loco in locum, edit, bibit, dormivit. (III.) quòd *humilia-vit ſemet ipſum*, i. e. ad calamitates quoque & contemtiſſi-mam fragilis vitæ conditionem ſe ſubmiſit, ſuſtinendo fa-mis & ſitis moleſtias, tentationes, pericula vitæ, mœrorem animi, paupertatem, contemtum & convitia. (IV.) quòd *factus eſt obediens* (Deo Patri) *usq; ad mortē, mortē autē crucis.* Et hoc eſt maximum exinanitionis Chriſti ſpecimen, & quaſi

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

complementum ejus, quòd cùm poſſet eſſe ſalvus & incolumis, paſſus tamen eſt ſe à peccatoribus capi, duci, peti colaphis, cædi flagellis, in crucem agi, occidi, & denique ſepeliri.

121. Initium itaque hujus Status Chriſti *conceptionem & nativitatem*; progreſſus, *educationem & viſibilem cum hominibus cohabitationem*; finis, *paſſionem, mortem & ſepulturam* complectitur. Quod tamen non ita accipiendum eſt, quaſi Chriſtus ex toto illo tempore nullum prorſus ſpecimen majeſtatis dederit. Contrarium enim miraculorum ab ipſo editorum gloria demonſtrat, & quòd cogitationum & cordium ſcrutatorem ſe oſtendit. Verùm inter hæc quoque quantumvis illuſtria majeſtatis opera manſit *exinanitus*, cùm quòd extraordinariè & aliquando ea ederet, tum quòd cæterà ad abjectam & fragilem vitæ conditionem ſe ſubmitteret.

122. *Status exaltationis* eſt, ad quem Chriſtus in reſurrectione & poſt illam, ratione humanæ naturæ, fuit evectus. Et in duobus potiſſimum conſiſtit: (I.) quòd omnem infirmitatem carnis humanæ exuit, & procul à ſe amandavit: (II.) quòd plenarium majeſtatis & gloriæ divinæ uſum fuit ingreſſus. Utrumque intelligitur ſignificare Apoſtolus, cū l. c. poſt deſcriptū exinanitionis ſtatū ſubjicit: *Propter quod & Deus EXALTAVIT illum*, (i. e. ab humili conditione fragilis vitæ ad plenarium majeſtatis uſum ſubvexit) *& donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Jeſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium & inferorum*, (i. e. adorationis quoque & cultûs divini gloriam impertivit.)

123. Initia hujus Status vulgò ponuntur *deſcenſus Chriſti ad inferos, reſurrectio*, & *adſcenſus in cælos*. Quanquam quid per deſcenſum Chriſti ad inferos intelligatur, nec inter veteres, nec recentiores Theologos uſquequaque convenit: qua

qua de re diſſerendi alius erit locus. Vide interim *F. C. art. IX.* Conſummatio autem ejus eſt *ſeſſio ad dextram Dei Patris*, quâ adeò plenum majeſtatis & gloriæ divinæ uſum intravit, ut omnibus hoſtibus ſuis dominari, & Eccleſiam totumque terrarum orbem providè & potenter gubernare cœperit. *Pſalm.* CX. 1. *Cor.* XV, 25. *Eph.* I, 20, 21. *cap.* IV, 10.

124. Tertium genus, quod alii ſecundum numerant, in *communione operationum* conſiſtit, cum aliàs æquè ac id, quod ſecundum fecimus, ipſis naturis in abſtracto conveniat. Dupliciter autem communio operationum accipi poteſt: (I) prout *earundem numero operationum* eſt; (II) prout eſt *diſtinctarum operationum*, quarum una Divinæ, altera humanæ naturæ propria eſt. Utraque datur, ſed non utraque hujus tertii generis eſt.

125. Communio operationum prioris modi ſub *communione majeſtatis* comprehenditur, certè in eâ fundatur. Ideò enim carni Chriſti communicata eſt majeſtas Divina, & cumprimis omnipotentia, ut æquè, ac Divina natura, per illam operetur: niſi quòd, omnipotentiâ per unionem neceſſariò communicatâ, uſus eſt arbitrarius. In quantum igitur Chriſtus in aſſumtâ carne utitur omnipotentiâ communicatâ; in tantum Divinæ & humanæ naturæ una eademque numero actio ſit neceſſum eſt. Ita cum caro Chriſti per communicatam omnipotentiam ſit *vivifica*, ſicut ſuprà ex *Joh.* VI. oſtenſum eſt: quoties ſuâ hac vivificandi virtute utitur (uſa autem fuit in miraculoſis ſanationibus) toties una eademque Divinæ & humanæ naturæ vivificatio eſt.

126. Cæterum non eſſe hanc communionem *reciprocam*, ſatis inde liquet, quòd nec proprietatum & potentiarum utriusque naturæ communio datur. Neque enim Divinitas ita infirmitatum & viricularum carnis, ſicut caro omni-

mnipotentiæ Divinæ particeps eſt facta: quamobrem nec quæ à naturali carnis potentiâ ſive actiones ſive paſſiones procedunt, ſimul Divinitatis actiones vel paſſiones ullo modo eſſe poſſunt. Sicut *eſuriente* aut *ſitiente* Chriſto homine, non etiam *eſuriit* aut *ſitiit* Divina natura; neque illo *patiente* aut *moriente*, hæc *paſſa* & *mortua* eſt; neq; illo *exſpuente in oculos cæci*, ad reſtituendum ipſi viſum, hæc quoque *exſpuit*; cùm aliâs miraculoſa viſûs reſtitutio, ob communionem omnipotentiæ, fuerit actio utriusque naturæ.

127. Ab hac operationum divinarum ſimplice communione plurimum differt illa, quæ poſterioris modi eſt, quippe cùm *operationum utriusque naturæ ſit reciproca communio*; eoque peculiare & tertium communicationis genus conſtituit. De hoc loquitur Leo Magnus in epiſtola decimâ, quæ ex Concilio Chalcedonenſi ad Flavianum fuit miſſa, velut ϛήλη τῆς ὀρθοδοξίας, & eodem nomine in ſextâ Synodo comprobata. Verba ejus ſatis trita ſunt: *Agit enim utraque forma* [i. e. utraque natura] *cum communione alterius, quod ſibi proprium eſt; Verbo ſcilicet operante, quod Verbi eſt; & carne exequente, quod carnis eſt.* Et ita quidem *ibi manifeſtè duas naturales operationes inconfuſè & indiviſè* (ἀσυγχύτως καὶ ἀδιαιρέτως) *in Chriſto prædicari*, annotant Patres Synodi VI. act. 2. Nempe quatenus *utraque natura agit, quod ſibi proprium eſt*, tollitur confuſio; & cum nihilominus *una agat cum communione alterius*, abeſt etiam diviſio.

128. Dupliciter autem fit, ut aliqua, agendo quod ſibi proprium eſt, cum communione invicem agant: (I) quatenus *in agendo unum ab altero dependet*, ſive *per ſe & ex natura ſuâ*, ſicut cauſa principalis & inſtrumentalis, v. g. faber & malleus in cudendo ferro; ſive *per accidens*, ſicut duæ vel

plures

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

plures lampades in illuminando uno conclavi. Has Philoſophi cauſas *accidentaliter*; illas *eſſentialiter ſubordinatas* appellant. (II) quatenus *ipſa inter ſe conjuncta & unita unum compoſitum vel ſuppoſitum conſtituunt, cujus eſt amborum operatio.* Ita diverſa quidem operantur anima & corpus, agente utroque quod ſibi proprium eſt; ſed tamen cum communione invicem agunt hoc ipſo, quòd inter ſe eſſentiali unione conjuncta unum hominem conſtituunt, cujus eſt, quicquid amborum eſt.

129. Quod docemus & credimus, *utramque naturam agere cum communione alterius*, præcipuè intelligendum eſt de poſteriori communionis modo. Etſi enim priori quoque ſenſu communicant: reverà enim humana natura à Divina in agendo dependet, ut infrà oſtendetur; præcipua tamen ratio, cur dicantur *cum communione invicem agere*, eſt, quòd unione hypoſtaticâ conjunctæ unum ὑφιστάμενον ſive ſuppoſitum conſtituunt, quod Deus & homo eſt, cujus unius eſt opus, quicquid ambarum eſt. Unde ipſe Leo *l. c.* quaſi rationem redditurus communionis operationum, ſubjicit: *Unus enim idemque verè Filius Dei, & verè Filius hominis eſt.*

130. Dionyſius quidam (ſive Areopagita ille, cujus fit mentio Act. XVII. 34. quem intelligit Sophronius; ſive alilius & recentior quis iſtius nominis) ἐνέργειαν θεανδρικὴν, *opus Dei-virile* dixit, quod Chriſtus ſecundum utramque naturam, quà θεὸς, & quà ἀνὴρ, operatur. Extat inſignis in hanc rem locus in epiſtolâ ejus IV. ad Cajum: Ἀνδρωθέντος θεοῦ, καινήν τινα τὴν θεανδρικὴν ἡμῖν ἐνέργειαν πεπολιτευμένος, *DEO VIRO facto, novam quandam DEIVIRILEM nobis operationem expreſſit in vitâ.* Utrum verò unam eâ voce operationem, an duarum communionem intellexerit, olim inter orthodoxos & Monotheletas fuit acris diſputatio. Illi contra hos pro dualitate

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

tate operationum pugnabant, ut Eutychianæ confuſioni naturarum occurrerent.

131. Quod quò facerent planius, operationes Chriſti in tria genera ſecreverunt. Alias dixerunt *θεοπρεπεῖς*, alias *ἀνθρωποπρεπεῖς*, alias denique *μέσην τινὰ τάξιν ἐπέχειν, ὡς ἐχούσας τὸ θεοπρεπὲς ἐν ταυτῷ καὶ ἀνθρώπινον.* Ita eas diſtinguunt Sophronius in epiſtola ad Sergium in Synod. VI. act. XI. Maximus Martyr, & Damaſcenus l. III, cap. XV. Nihil autem aliud volunt, quàm operationes *homine dignas* non congruere Divinitati, & *Deo dignas* humanitatem ſibi relictam excedere; neque ex his ad unum effectum concurrentibus unam operationem confuſione quadam conflari, ſed manere diverſarum naturarũ diverſas operationes; concipi autem in modum unius operis, quòd unus ſit Chriſtus, qui operetur, quicquid utriusque naturæ eſt proprium.

132. Et hujusmodi eſſe S. Dionyſii *ἐνέργειαν θεανδρικὴν*, iidem docẽt. Sophroni9 quippe l. c. ſcribit: *Hanc* (poſtremi generis) *habere vim dicimus communẽ illam, quæ* DEIVIRILIS *appellatur, operationem, quæ non una eſt, ſed diverſi generis & diſcrepans; quam quidem ex Areopago ab divino Apoſtolo divinitus captus* Deiloquus *nominavit Dionyſius: utpote quæ divinum ſimul & humanum quid complexa ſit, & elegantiſſimè compoſitâ nuncupatione ſingularum naturam & eſſentiam perfectè ſignificet.* Et Damaſcenus ait. *libr. III, cap. XIX. Beatus Dionyſius novam quandam DEIVIRILEM operationem Chriſtum egiſſe dicens, non hoc ſignificare voluit, ſublatis naturalibus operationibus, unam aliquam ex humanâ & divinâ operationem eſſe factam. Etenim quorum una eſt operatio, horum & ſubſtantia eſt una, ut docent S. Patres.* Vocatur itaque Chriſti opus *DEIVIRILE*, tùm quia *DEI* eſt, quà Deus, & *VIRI*, quà vir eſt, ſub qua reduplicatione diverſas operationes complectitur; tum quia unius Chriſti eſt, qui *Deus* &

Vir

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

Vir eſt, ſub cujus unitate operationum diverſarũ communionem importat. Quanquam prætereà in ipſis etiam operationibus ad ſe invicem relatis hujusmodi requiritur & voce illâ connotatur connexio, ob quam unum quaſi opus eſſe videantur, ut paulò poſt dicemus.

133. Fundamentum itaque communionis operationum eſt communio hypoſtaſeos & unitas ſuppoſiti. Quippe *actiones ſuppoſitorum eſſe*, tritum Theologis Philoſophisque axioma eſt, nec nobis ſemel memoratum: non quòd naturæ in abſtracto, earumque formæ & qualitates nihil agant: his enim omnis agendi vis proximè ineſt: Sed quia ſicut non in ſeipſis, ſed in ſuppoſito naturæ ſubſiſtunt, ita nec ſeorſum (modum enim eſſendi modus operandi ſequitur) ſed in ſuppoſitis agunt, & prout hypoſtaſi ſive ultimo ſubſiſtendi modo ſunt determinatæ. Quò fit, ut quæ per naturas perficiuntur actiones, *ultimatâ denominatione* (ſic cum Scoto & Johanne de Radâ loquimur,) ſuppoſitis tribuantur; tanquam non ipſæ naturæ, ſed ſuppoſita per ipſas agant: ſicut non potentiam locomotivam, ſed hominem ambulare dicimus, cum homo per illam ambulet. Quemadmodum igitur ubi diverſæ naturæ in diverſis ſuppoſitis ſubſiſtunt, nulla ibi operationum eſt communio, niſi quatenus unum ſuppoſitũ ab altero in operando dependet, veluti Prophetæ & Apoſtoli in patrandis miraculis à Deo dependebant: ita ubi è contrario plures ac diverſæ naturæ in uno ſuppoſito ſubſiſtunt, ſicut Divina & humana in uno Chriſto; ibi operationum utriusque naturæ communionem dari neceſſum eſt, ob ſuppoſiti per plures naturas plura & diverſa operantis unitatem. Neque repugnat, diverſarum Chriſti operationum unum & duo eſſe principia; unum *ut quod* (iterum cum Philoſophis loquimur) id eſt, quod ab operatione ulti-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

mô denominatur, quod eſt Chriſtus: & geminum *ut quo*, id eſt, quo utroque mediante unum illud operatur, & operans denominatur, cujusmodi ſunt duæ naturæ.

134. Oritur autem ex iſthac hypoſtaſeos communione, & ſuppoſiti unitate, duplex operationum communio: una reſpectu concretorum; altera ex parte naturarum in abſtracto. Prior non eſt hujus loci, ſed ad primum communicationis genus pertinet, conſiſtitque in ἀντιδόσει, puta quòd concreta, *Deus* & *homo*, ita permutant operationes ſuas, ut quicquid agit Chriſtus per Divinitatem, *hominis*; & quicquid viciſſim agit vel patitur per humanitatem, *Dei* ſit actio vel paſſio. Quanquam quatenus actiones & paſſiones ultimò à ſuppoſitis denominantur, illæ quæ humanitatis ſunt, potiori jure *divinæ*, quàm quæ Divinitatis ſunt, *humanæ* dici poſſunt: ſiquidē non Divinitas in ſuppoſito humano, ſed humanitas in ſuppoſito divino ſubſiſtit. Qua de cauſa Veteres & carnem Chriſti & ejusdem actiones ac paſſiones *deificatas* (θεωθείσας) dixerunt. *Quemadmodum caro*, ait Damaſcenus, *ita deificata eſt, ut propriæ naturæ mutationem nullam paſſa ſit; eodem modo & voluntas & operatio deificatæ ſunt quidem; non tamen proprios limites exceſſerunt.* libr. III, Cap. XV.

135. Poſterioris modi operatio, prout ſcilicet ex parte naturarum in abſtracto accipitur, non in ſimili ἀντιδόσει conſiſtit (neque enim ulla carnis propria actio vel paſio formaliter Divinitatis eſt, licet quædam Divinitatis propria operatio ſimul carnis ſit) neque ſolùm *ſuppoſiti operantis unitatem* importat, ſicut ex parte concretorum (alioquin enim omnium Chriſti operationum, diverſis quamlibet locis temporibusque editarum, daretur communio, quia omnium principium eſt unus Chriſtus) ſed ſimul *unius naturæ ab altera in operando dependentiam* connotat, quæ tamen non eſt mutua,

ctua. Sicut enim in homine ἡγεμονικὸν eſt mens (cæteris enim animi & corporis facultatibus imperat) ita in Chriſto principatum tenet Divinitas, neque tantùm carni & animæ, ſed & menti humanæ præeſt, ut docet Damaſcenus *libr. IV. cap. XII.* Non itaque Divina natura ab humana, ſed hæc tantùm ab illa in operando dependet. Quicquid ſcilicet operatur Divinitas cum carne, & per carnem, poſſet æquè perfectè ſine illâ operari. Quod autem cum Divinitate operatur caro, vel non poſſet ſine illa, vel non eodem modo, aut non pari perfectione operari.

136. Ut autem modus dependendi fiat planior, duo prælibanda ſunt: (I) duplicem eſſe carnis Chriſti potentiam; unam *finitam* ac *propriam*, & naturalem; alteram *infinitam* & *divinam*, atque unione perſonali communicatam: per hanc non poſſe niſi agere; per illam & agere & pati. (II) Voce & ambitu operationum ſive actionum carnis Chriſti comprehendi quoque *paſſiones*; quanquam fortè non quà *paſſiones*, ſed quà *voluntariæ* ſunt: neque enim *pati*, ſed *velle pati*, ſive ſponte paſſionem ſubire, agentis eſt. Sunt autem paſſiones vel ab *interno* principio, ut *affectus animi* v. g. contriſtari, miſereri; & *corporis*, veluti eſurire, ſitire: vel à principio *externo*, ut flagellari, in crucem agi, occidi. Omnes æquè in poteſtate Chriſti erant, atque aliæ liberrimæ actiones. Hinc Paulus ait, *Chriſtū ſemet ipſum pro peccatis noſtris tradidiſſe*, Gal. I, 4. Eph. V, 2. Et Auguſtinus tract. XLIX. in Joh. meminit, *Chriſtum turbatum fuiſſe*, *eſurivisſe*, *dormiviſſe*, *mortuum eſſe* (non ex neceſſitate naturæ, aut indeclinabili vi externa, ſed) *quia voluit*.

137. Dependet humana natura à Divina in omnibus actionibus & paſſionibus ſuis, ſecundum quamcunque ſuam po-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

te ntiam, idque ut Scholæ loquuntur, tum quoad *exercitium*, tu m *quoad ſpeciem actûs.* Id quod ex rebus geſtis Chriſti in hac vitâ evidentiſſimum eſt. Ad *exercitium* pertinet, quòd Chriſtus in aſſumta carne nihil ne quidem per propriam & naturalem potentiam unquam egit vel paſſus eſt, niſi ex nutu & arbitrio principatum tenentis Divinitatis ſuæ; ſicut ipſe, inſtante paſſionis tempore, orabat: *Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte; veruntamen non ſicut ego volo, ſed SICUT TU VIS.* Matth. XXVI, 39. Dum ſuam voluntatem voluntati Dei Patris, humanam Divinæ ſubmittit, quam cum Deo Patre communem habet. Et Gregorius Nyſſenus de *fame* Chriſti, quod idem de omnibus internis paſſionibus corporis intelligi poteſt, ſcribit *Orat. IV. de beatitud. Cum quadraginta dies iejunus permanſiſſet, poſtea eſuriit: dedit enim, quando volebat* (id eſt, quà Deus, ac pro Deitatis ſuæ arbitrio) *naturæ* (humanæ) *opportunitatem operandi, quæ ſua ſunt.* Quæ verba ex ipſo allegat Agatho, Pontifex Romanus, in epiſtola ad conſtantinum Pogonatum, approbante ſynodo VI, *act. IV. p.* 105. Eadem habet Sophronius in epiſtolâ Synodicâ. *ibid. act. XI. p.* 329. *Dedit enim, quando vellet* (id eſt, pro Divinitatis ſuæ arbitrio) *naturæ humanæ opportunitatem operandi ac patiendi, quæ ſibi propria ſunt.* Et Damaſcenus l. III. cap. XV. *Corpus perfecit omnia, quæ corporis ſunt, ad voluntatem uniti Verbi, cujus* (per unionem) *factum eſt proprium.* Item: *Movebatur ſecundum naturalem propenſionem, volente Verbo, & concedente pati, aut agere, quæ ſibi erant propria.*

138. Quod *ſpeciem actûs* attinet, dependet humana natura à Divina, non modò *quatenus in virtute omnipotentiæ Divinæ operatur, quod ſupra naturam, & planè divinum eſt*, cujusmodi erant olim miracula, & hodiè eſt gubernatio ac conſervatio Eccleſiæ, & hujus univerſi; ſed & *quatenus humana*

non

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

non humano modo egit vel paſſa eſt. Ita *eſurire* humanum eſt: ſed *pro arbitrio eſurire*, id eſt, non prius, nec diutius, nec ultrà, quàm placet) divinum eſt. Unde benè Auguſtinus l. c. *In illius poteſtate erat, ſic vel ſic affici, vel non affici*. Item ab externo agente *pati* & *mori*, hominibus & aliis accidit: ſed eo modo *pati* & *mori*, quo paſſus ac mortuus eſt Chriſtus, divinum eſt. Non urgemus nunc, quòd ſponte paſſionem & mortem ſubivit, volente ac diſponente ita Divinâ naturâ, in ſalutem generis humani; Sed quòd atrociſſimos inter cruciatus duravit, & λύτρον infiniti pretii pro totius mundi peccatis perſolvit: quorum utrumque operata eſt Divinitas; illud quidem, ſuſtentando carnem ac corroborando; hoc, paſſionibus & morti ejus infinitum valorem impertiendo. Etſi proinde *paſſio*, quà *pasſio*, à potentia paſſivâ carnis, & agente in ipſam externo principio, ad certam ſpeciem eſt determinata: quòd tamen *voluntaria* ſit, intrepidè & conſtanter *tolerata*, & *infiniti pretii*; id omne habet ex communione carnis cum Divinâ naturâ.

139. Sed & in ipſis operationibus ad ſe invicem relatis communio aliqua & quaſi unio ſit neceſſum eſt; puta quòd *cùm tempore ſimul ſint, una eſt propter alteram, aut ambæ ſunt propter eundem effectum*. Hinc paſſiones carnis Chriſti & miraculoſæ ſanationes, licet unius perſonæ fuerint, tamen ad ſe invicem relatæ nullâ communione ſociantur: quia uti tempore & loco fuere diviſæ; ita nec aliæ erant propter alias, nec omnibus idem effectus reſpondebat. At cum Chriſtus, *ex ſpuendo* in oculos cœci, ipſum *curaret*, arctiſſima erat communio & *exſpuendi actûs* & *curandi*: præterquàm enim quòd ſimul perficiebantur, ille propter hunc erat, huicq; ſubordinabatur.

140. Itaque præſuppoſitâ operantis unitate & carnis à Divi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

à Divinitate in operando dependentiâ, ipſæ quoque operationes ſociantur inter ſe & quaſi uniuntur dupliciter: I. *per ſubordinationem*; cùm humana operatio eſt propter divinam, ſicut in proximo exemplo *exſputio* in oculos cœci, propter ipſius *ſanationem*; aut cum vice versâ divina eſt propter humanam, ſicut carnis patientis Chriſti *corroboratio*, quæ ſine dubio Divinitatis erat actio, propter *paſſiones* conſtanter perferendas. (II) *per coordinationem ad eundem effectum*; cum ſcilicet non una actio eſt propter alteram, ſed ambæ ſunt propter eundem numero effectum: quomodo tam paſſiones carnis Chriſti, quàm quæ eſt à divina natura, infinita earum æſtimatio, ſunt propter redemtionem generis humani, cùm ſeclusâ effectûs unitate, neutra alteri ſubordinetur.

141. Sicut itaque communionem operationum inchoat & fundat ſuppoſiti operãtis unitas; ita effectûs per eas producti unitas abſolvit & terminat. Hujus autem cauſa Chriſtus non eodem cauſandi modo eſt, ſed vel *phyſica*, vel *moralis* & meritoria. Cauſa phyſica erat miraculoſorum effectuum, quos per omnipotentiam Divinitatis ſuæ patravit, intermediâ carnis propria actione, ut cùm *ſputo*, *contactu*, *verbo* inveteratos morbos in momento curavit, vel mortuos in tam reduxit. Etſi autem quatenus hi effectus in totum ſuppoſitum, ut in principium *quod* reducuntur, ipſi tanquam *cauſæ principali* competunt: ſi tamen naturarum una ad alteram comparetur, carnem Deitatis τῦ λόγυ *organon* veteres dixerunt, ut Athanaſius *orat. IV. contra Arian.* Cyrillus *dia. de incarn. tom. V. part.* I. & alii. Non autem eo ſenſu, quo Moſes & Prophetæ aliique ſancti olim Dei per ipſos miracula patrantis inſtrumenta fuerunt, qui fuit Neſtorii error, & refellitur apud Cyrillum *I. ep. ad Neſtorium*, & *II. libr. contra*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

tra ipſum. Sed aliâ & eâ quidem ſententiâ, quòd *caro ſit organon Divinitatis τȣ̃ λόγȣ proprium, conjunctum, imò unitum, atque ideò perſonaliter aſſumtum, ut per illud & cum ejus communione Divina natura τȣ̃ λόγȣ operationes ſuas, pro libero ſuo beneplacito, exſerat & efficiat*: Verba ſunt B. Chemnitii *libr. de duab. natur. cap. XX.* Quanquam cum carni duo effectus reſpondeant; unus *proprius & ſubordinatus*, veluti ſputum, contactus, verbum; alter cum Divinitate *communis & ultimus*, videlicet miraculoſa ægrotorum ſanatio; caro non ad priorem illum, quem virtute non ignobiliore, quàm requiritur, produxit, ſed ad poſteriorem inſtrumenti inſtar ſe habet; perinde ut calor cauſa quidem principalis eſt calefactionis, ſed intermediâ calefactione animæ, tanquam inſtrumentũ cauſæ principali, ad generationem & nutritionem inſervit.

142. Ex adverſo cauſa moralis & meritoria Chriſtus eorum effectuum eſt, qui ad officium ipſius mediatorium pertinent, puta quòd paſſione & morte infiniti pretii homines reconciliavit Deo & à morte redemit, atque impletione perfectiſſimâ legis juſtitiam ipſis vitamque æternam acquiſivit. Quæ Chriſti opera Theologi ἀποτελέσματα appellant. Quanquam duo hìc diſtinguendi ſunt ejus effectus, quorum uterque utrique naturæ debetur: unus eſt *actus meritorius*; alter eſt *bonum promeritum*, quà promeritum, ſive quod idem eſt, *boni acquiſitio*. Non utriusque, ſed boni promeriti & acquiſiti cauſa moralis & meritoria eſt. At meritorii Actûs eſt cauſa phyſica, quia ſecundum ſubſtantiam ille quidem eſt à carne, per realem influxum, & qui ipſum in eſſe actûs meritorii complet infinitus valor, à Deitate eſt. Ita CHRISTI *paſſio & mors* infiniti valoris eſt actus meritorius, cujus utique phyſica cauſa eſt, Chriſtus, hoc ipſo, quòd ſecundum carnem voluntariè eſt paſ-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

paſſus, & ſecundum Deitatem ipſe paſſioni ſuæ dedit infinitum pondus. Sed quod huic reſpondet bonum promeritum, ſive acquiſitum, eſt *ſatisfactio pro peccatis*, *reconciliatio Dei*, & *redemptio ab æternâ morte*, cujus Chriſtus cauſa moralis & meritoria eſt.

143. Actûs autem meritorii ad bonum promeritum, & hujus ad illum neceſſarius eſt reſpectus, qui in ſcripturâ dupliciter exprimitur: (I) *ratione intentionis*, quomodo actus meritorius ad bonum promerendum ſe habet, ut medium ad finem. Quo ſenſu ait Paulus, *Filium Dei factum eſſe ſub lege, ut eos qui ſub lege erat redimeret* Gal. IV, 4. Item *dediſſe ſemet ipſum pro peccatis noſtris* Gal. I, 4. *mortuum eſſe pro peccatis noſtris* I. Cor. XV, 3. id eſt, ut peccata noſtra expiaret. (II) *ratione executionis*, quomodo actus meritorius ad bonum promeritum ejusve acquiſitionem ſe habet, ut cauſalitas cauſæ moralis ad effectum, ſive ut id, *quo* Chriſtus bonum promeruit nobis & acquiſiuit. Qua habitudine verbo boni acquiſitionem ſignificanti ſæpe additur in obliquo & ſexto quidem aut æquipollente caſu, ſicut ait Apoſtolus Act. XX, 28. *Deum proprio ſanguine* (ſcilicet in cruce effuſo) *acquiſiviſſe Eccleſiam.* Et modo æquipollente inquit Rom. V, 10. *Reconciliati ſumus Deo per mortem filii ejus.* Item v. 19. *Per unius hominis obedientiam juſti conſtituuntur multi.* Sicut autem aliâs ſæpe actio cauſæ efficientis nomen induit: ita & actus meritorius nonnunquam verbo boni acquiſitionem ſignificanti, ut cauſa boni acquiſiti, in caſu recto connectitur, ut in illo I. Joh. I, 7. *Sanguis Jeſu Chriſti, Filii Dei, emundat nos ab omni peccato.*

144. Quanquam autem in his omnibus locis actus meritorius tantùm ſecundum ſubſtantiam, & eatenus exprimitur, quatenus ab humana natura dependet: infinitus tamen qui à Divinitate eſt valor, vel ſubintelligitur,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

tur vel per additas alias voces tacitè ſubindicatur: Sicut *ſanguis* in cruce effuſus ex eo intelligitur eſſe infiniti pretii, quòd *proprius Dei ſanguis* laudatur Act. XX, 28. quin & quia is adſcribitur effectꝰ, qui non poſſit eſſe niſi à ſanguine infiniti valoris. De cæteris locis idem eſto judicium.

145. Effectus ἀποτελεσματικοὶ ferè in *boni per Chriſtum parti acquiſitione* conſiſtunt; Sed vi mutui reſpectûs *actum meritorium* ſaltem confusè connotant, qui ſæpe per additas alias voces diſtinctè exprimitur: ſicut in illo jam citato Act. XX. *Deus proprio ſanguine acquiſivit Eccleſiam.* Item Gal. III, 13. *Chriſtus redemit nos à maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* Confer. Rom. V, 10, 19. Verùm *actus meritorii*; præſertim ſi ſecundum ſubſtantiam tantùm exprimantur, & quatenus à carne ſunt, ſuppreſsâ infiniti valoris mentione; non ſunt ἀποτελέσματα, niſi per additas alias voces ad *bonum promeritum*, velut ad ultimum effectum, & qui ab utraque naturâ eſt, reſtringantur. Ita *paſſum & mortuum eſſe*, ex ſe non eſt ἀποτέλεσμα, quia humanæ naturæ proprium: Si vero addas, *pro peccatis noſtris*, quod addit Paulus I. Cor. XV, 3. Gal. I, 4. ſic ἀποτέλεσμα eſt, quia per additum denotatur *expiatio peccatorum*, quæ utrique naturæ debetur.

146. Quemadmodum verò in aliis communicationis idiomatum generibus; ita & in communione operationum quædam prædicationes fundantur. Et primùm quidem res ipſa loquitur, operationes de Chriſto & duabus ejus naturis non prædicari, niſi παρωνύμως, ſcilicet ſub verbo vel participio, quod operationem in modum adjacentis ſignificat. Deinde repetendum, quod ſupra dicebamus, Chriſtū operandi principium *quod*, naturam utramq; principium *quo* eſſe; quibus mutilatis terminis nihil aliud denotatur, quàm diverſus prædicandi modus, puta quòd toti ſuppoſito operatio-

nes in caſu recto (quo ſenſu *actiones ſuppoſitorum eſſe* ſuprà vidimus) naturis autem in obliquo & ſexto quidem aut æquivalente caſu attribuantur: Id quod diverſus quærendi reſpondendique modus evidenter docet. Aut enim quæritur ſub caſu recto, v. g. *quis* pro nobis ſatisfecerit; aut ſub caſu obliquo, ſcilicet *quo* ſit ſatisfactum. Sicut per eosdem caſus reſpondeatur neceſſum eſt; ita ad illud quidem minùs rectè reſpondetur, quòd Divina vel humana natura, ſed quòd *Chriſtus ſatisfecerit*; ad hoc, quòd *utrâque Chriſti naturâ* (aut phraſi æquipollente *per utramque naturam*) ſit ſatisfactum.

147. Sicut autem aliâs ſæpè principium *quo* ſumitur, quaſi eſſet principium *quod*, dum ipſi quoque in caſu recto operatio tribuitur; quomodo de oculis dicit Simeon: *Oculi mei viderunt ſalutare tuum* Luc. II. Cum tamen aliâs oculi ſint principium videndi *quo*, id eſt, quo videmus: Ita & alteri Chriſti naturæ aliquando in caſu recto operationes tribuuntur. Quanquam operis, quod per utramque naturam perficitur, alia eſt ratio, quàm earum operationum, quæ unius naturæ ſunt propriæ. Hæ utique rectè de natura, cujus ſunt propriæ, prædicantur, ſicut *carnem eſſe paſſam*, *eſſe mortuam* dicimus: de altera autem natura in abſtracto non prædicantur, ſed tantùm in concreto; neque enim Deitatem, ſed *Deum eſſe paſſum*, *eſſe mortuum* dicimus. Id quod pertinet ad ἀντίδοσιν primi generis, quâ id quod per humanam naturam perficitur, de Deo; & quod viciſſim per divinam, de homine prædicatur.

148. Sed & quæ per utramque naturam perficiuntur opera, non uniusmodi ſunt, ſicut ex ſuperioribus liquet. Aliquando id quod Divinitatis eſt proprium, ſimul carnis eſt opus, ob communionem omnipotentiæ; ſed intermedia

& ſub-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

& ſubordinatâ quadam carnis propriâ actione; ceu factum eſt in miraculoſis ſanationibus & aliis Chriſti miraculis. Et jam illud quidem opus de utraque natura prædicatur, quà utrique eſt commune, ſed non æquè quà carnis propriam actionem complectitur: ſicut cum Chriſtus *cæcum ſputo ſanavit* Marc. VIII, 23. totum hoc opus non poteſt dici de utraque Chriſti naturâ, licet ab utraque ſit profectum, quia ſic includit *exſpuendi actionem*, quæ Divinitati repugnat: hac interim præcisâ, & ſoli carni reſervatâ actione, cæterà & Deitati & carni miraculoſa viſûs reſtitutio tribuitur.

149. Interdum verò ita una natura agit cum communione alterius, ut neutrius actio ſit eadem numerò ſimul alterius, ceu contigit in ἀποτελέσμασι, v. g. in ſatisfactione pro peccatis, reconciliatione Dei, & redemtione à morte æternâ. Et hujusmodi opera, ſi adæquatè & ſecundum omnem ſuam rationem ac perfectionem accipiantur, de neutra naturâ in abſtracto rectè prædicari, per ſe manifeſtum eſt. Unde in ſcriptura ferè toti ſuppoſito, ſub concretis nominibus perſonæ & naturarum, attribuuntur: veluti ſub nomine *Chriſti* I. Cor. XV. 3. Gal. I, 4. cap. III, 13. Eph. V, 2. tum ſub deſcriptione *Filii Dei* I. Joh. III, 8. Gal. IV, 4. Denique ſub vocibus *hominis* & *Filii hominis* I. Tim. II, 5. Luc. IX, 56.

150. Quamobrem nec per particulas διακριτικὰς, ſive diſtinctivas, quarum in primo communicationis genere eſt uſus, reſtringi ἀποτελέσματα ad unam Chriſti naturam poſſunt. Quod ſi enim v. g. *Chriſtum nos redemiſſe ſecundum carnem* diceremus, excluderetur Deitas; aut ſi *ſecundum Deitatem*, caro excluderetur. Quanquam fortè non omnium prædicatorum ἀποτελεσματικῶν par eſt ratio. Quæ enim directè & principaliter *actum Chriſti meritorium*, quatenus ille quidem ex parte carnis ſe habet, ſignificant, connotare

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

per additas alias voces reſpectu ad *boni acquiſitionem*; illa bene ad *carnem* reſtringuntur, reſtrictione non ad con-notatum, ſed ad primarium ſignificatum pertinente: quo ſenſu dicitur *1. Petr. IV, 1. Chriſtus paſſus eſt pro nobis IN CARNE*: ubi particula (*in carne*) non reſtringit additum (*pro nobis*) quo obliquè noſtri redemptio utrique naturæ debita, connotatur, ſed τὸ *paſſum eſſe*, quod primarium prædicati verbum eſt. Quæ autem verba ſive prædicata directè & principaliter *boni acquiſitionem*, v.g. *redemtionem* vel *reconciliationem* ſignificant; ſicut Chriſto ſecundum utramq; naturam competunt, ita reſpuunt particulas διακριτικὰς, quibus ſenſus ad unam naturam coarctatur. Quod verò Apoſtolus ait *cit. Act. XX, 28. Deus proprio ſanguine acquiſivit Eccleſiam*; non ibi additum (*proprio ſanguine*) διακριτικὸν eſt, ſive non reſtringit prædicatum ad carnem, cujus ſanguis in cruce eſt effuſus, excluſâ Divinitatis communione; ſed *ſanguinis effuſionem*, ex parte carnis, ſignificat eſſe *actum meritorium*, & *cauſalitatem*, ſeu id, *quo Deus Eccleſiam acquiſiverit*, ſubintellecto qui à Divinitate eſt *infinito valore*, aut per id ſubindicato, quòd *proprius DEI ſanguis* dicitur, & ipſi effectus utriq; naturæ debitus adſcribitur; ut ſuprà rem expoſuimus. Et tantum de perſonâ Chriſti.

SECTIO II.
DE
OFFICIO CHRISTI.

1. Quando Filius Dei ideò factus eſt homo, ut humanum genus à peccato & poteſtate Satanæ æternisque pœnis redimeret, & ad beatitudinem æternam, quâ per lapſum protoplaſtorum exciderat, viam & aditum repararet: huic fini conſequendo tria potiſſimùm munia obivit, & ex parte etiam-

num

num obit; videlicet *Propheticum*, *Sacerdotale*, & *Regium*. Quanquam nonnulli ad duo revocantes, Propheticum prætermittunt, vel ſub ſacerdotali comprehendunt. Nos hic tantùm de ſacerdotali acturi, reliqua ad locum *de Eccleſiâ* rejiciemus, cui colligendæ & conſervandæ defendendæque inſerviunt.

2. Officium *Sacerdotale* idem eſt, quod *mediatoriū*: quanquam hoc vocabulum illo generalius eſt. Nam *mediator* (μεσίτης) eſt quilibet, qui *diſſidentibus medius intervenit*, *ut eos conciliet & componat*. Quo ſenſu ait Apoſtolus Gal. III, 20. *Mediator autem unius non eſt* (ſubintellige, *ſed duorum minimùm, qui diſſident aut diſceptant.*) At ſpeciali ratione dicitur *Sacerdos*, *qui Deo & hominibus intervenit medius, proque his illi ſacrificium, & piaculare cumprimis, unà cum precibus offert.* Quanquam præter ſacerdotium ſunt plures τῆς μεσιτείας ſpecies ſive modi, pro quorum diverſitate mediator diverſa aſſumit nomina, dum aliâs *arbiter*, aliâs *ſequeſter*, hinc *internuncius*, inde *interceſſor*, vel *ſponſor* nuncupatur.

3. Eſſe autem Chriſtum humani generis mediatorem, paſſim ſcriptura docet. Manifeſtiſſimum, & inſtar omnium eſt teſtimonium Pauli I. Tim. II, 5. *Unus enim eſt Deus*, *unus etiam mediator Dei & hominum*, *homo Chriſtus Jeſus*. Et ſicut Moſes erat *mediator pacti legalis* Gal. III, 19. Ita ex adverſo Chriſtus prædicatur κρείττονος διαθήκης μεσίτης, *præſtantioris pacti mediator* Hebr. IIX, 6. Item *mediator novi teſtamenti*. Ibid. cap. IX, 15. XII, 24. Sed & ſpecialiori voce noſter *Sacerdos*, & æquipollente nomine *Pontifex* laudatur *Hebr.* VII, Ubi ad ipſum accommodatur locus *Pſalm. CX*, 4. *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedec.*

4. Et certè utriusque nominis ratio, prout initiò explicata eſt, benè Chriſto quadrat. Mediator eſt *Dei & hominum*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

num, quòd cum homines à Deo per peccatum averſi, eoque æternùm damnandi eſſent, ipſe *intervenit medius*, mortalesque Deo patri *ſatisfactione* partim, partim *precibus* reconciliavit, æternoque exitio eripuit. Iisdem planè actibus *Sacerdotium* ſive *pontificatum* obivit: niſi quòd *ſatisfactio*, cum ex ambitu & latitudine *mediatorii* muneris indifferens ſit, & pluribus fieri modis poſſit, vi *ſacerdotii* ad certam ſpeciem reſtringitur ac coarctatur, puta quòd per *oblationem* & *ſacrificium* ſatisfecerit, ceu liquet ex *Eph.* V, 2. *Hebr. IX*, 12. *cap. X*, 10, 14.

5. Fundamentum officii mediatorii Servatoris noſtri eſt unio perſonalis, ſive quòd ſimul *Deus* & *homo* eſt. Quod ſi partes diſſidentes fuiſſent ſimilis naturæ & conditionis, ſicut duo homines; homo quoque iis inter ſe componendis & ad concordiam adducendis par fuiſſet. At quando diſſidebant *Deus* & *homines*, creator & creaturæ; neque purus homo, neque Deus idoneus erat, qui mediatorio inter eos officio fungeretur: quia, ut Chryſoſtomus hom. VII, in 1. Tim. ait, *Mediator cum ambobus commune aliquid habere debet, quorum mediator eſt. Quod ſi unum quidem propinquitate contingit, ab altero verò diſtractus ſit, non jam mediator eſt.* Et Auguſtinus libr. X. confeſs. Cap. XLII. *Mediator inter Deum & homines, oportebat, ut haberet auquid ſimile Deo, aliquid ſimile hominibus: ne in utroque hominibus ſimilis longè eſſet à Deo: aut in utroque Deo ſimilis, longè eſſet ab hominibus, atque ita mediator non eſſet.*

6. Qua de causâ Filius Dei, ut partibus mediatoris inter Deum & humanum genus adminiſtrandis inveniretur idoneus, noſtram ſibi naturam ac carnem hypoſtaticè copulavit, ac cum Divinitate conjunxit. Quod præcisè eum in finem factum fuiſſe, prolixè inculcat Auctor *epiſt.*

Hebr.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

II, 10, 14, *& ſeqq.* Cumprimis notatu digna ſunt verba *v.* 16. *Unde debuit per omnia fratribus ſimilis fieri, ut miſericors eſſet & fidus pontifex ad Deum, ad expianda peccata populi.* Confer Gal. IV, 4.

7. Ex quò ſequitur, quod immotâ fide tenent noſtræ Eccleſiæ, Chriſtum *ſecundum utramque naturam eſſe noſtrum mediatorem*, adeoque perperam à Pontificiis illud Chriſti munus *ad carnem* reſtringi. Ideo enim debuit eſſe *Deus & homo*, quòd neque caro ſine Deitatis communione, neque Deitas ſine communione carnis ad explendas mediatorii officii partes ſufficeret. Quanquam actus hujus muneris primò & principaliter ſignificant id, quod carnis proprium eſt, videlicet *paſſionem & mortem carnis*, ut & *preces* pro nobis Deo allegatas; ſed infinitum quem à Divinitate habent valorem tantùm in caſu obliquo & in modum adjacentis connotant: neque enim v. g. *ſatisfactio* pro peccatis noſtris eſt ipſe infinitus valor, ſed paſſio & mors infinitè valida ac pretioſa. Quo fieri arbitramur, ut aliquando Chriſto *homini* tribuatur officium mediatorium, ſuppreſsâ mentione Dei, ut 1. *Tim. II.* 5. item ut *ſanguini & morti* carnis adſcribatur beneficium, quod utriusque naturæ eſt, veluti *Act. XX,* 28. 1. *Joh. I,* 7. *Rom. V,* 10.

8. Hinc ſano ſenſu accipienda ſunt verba Auguſtini tract. LXXXII in Joh. *Mediator autem Dei & hominum, non in quantum Deus, ſed in quantum homo, eſt Chriſtus Jeſus.* Et quæ his gemina leguntur *enarrat. in Pſalm.* CIII, & *libr. X. confeſſ. cap. XLIII.* Nempe nihil aliud videtur velle, quàm actus mediatorios ſecundum ſubſtantiam conſideratos, præciſò Divino & infinito valore, competere Chriſto, *quà homo* eſt, non *quà Deus*: ſiquidem *paſſus eſt*, *mortuus eſt*, & *pro nobis oravit*, quà homo eſt. Hujuſmodi autem actibus infini-

cum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

tum pretium à Divina naturâ accreviſſe nusquam negat Auguſtinus; multò minus beneficia iis parta ſoli humanæ naturæ, ſed utriusque communioni vindicat. Hinc *libr. de ovib. cap. XII.* ſcribit: *Inde & mediator Dei & hominum; quia Deus cum patre; quia homo cum hominib9. Non mediator homo præter Deitatem: non mediator Deus præter humanitatem. Ecce mediator: Divinitas ſine humanitate non eſt mediatrix: ſed inter Divinitatem ſolam mediatrix eſt humana divinitas, & divina humanitas Chriſti.*

9. Quæ inter actus mediatorios primas fert Chriſti *ſatisfactio*, hac voce in ſcriptura nusquam appellatur. *Satisfacere eſt deſiderium creditoris quocunque modo implere*, ait Auſonius Popma libr. IV de differ. verb. At latiùs verbum iſtud patet, & de eo quoque uſurpatur, qui læſi deſiderium, ſive præſtando damnum, ſive pœnam ſubeundo, tum qui ſervando legem legislatoris voluntatem implet. Nihil enim aliud eſt lex, quam legislatoris voluntas; & *pœna eſt efficientis* (i. e. punientis) *causâ, ut expleatur* (& ſic ipſi ſatisfiat) ut ait Ariſtoteles l. 1. Rhet. cap. X. At habebat ſe Deus quoque ad homines lapſos, tum ut *legislator, & qui perfectiſſimam legis obedientiam à nobis requirebat*; tum ut *is, qui per peccata noſtra offenſus pœnas æternas exigebat.* Utraque ex parte voluntatem Dei noſtrâ causâ implevit Chriſtus, tum *implendo legem*, Matth. V, 17. quo ipſo *factus eſt nobis juſtitia* 1. Cor. 1. 29. tum offenſas pœnasque noſtras in ſe ſuſcipiendo, & ita luendo, ut *nulla nunc damnatio ſit in iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu.* Rom. IIX, 1. Quamobrem ſatisfactio Chriſti obedientiam ipſius tum *activam* tum *paſſivam* complectitur: nos autem hìc in eâ explicandâ præcipuè ad *obedientiam paſſivam* reſpiciemus, & quatenus per eam peccata noſtra expiavit.

10. An

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

10. Antequam autem Filius Dei in aſſumto humanæ carnis habitu pro nobis ſatisfaceret, pactum eâ de re ipſi cum Deo Patre ab æterno interceſſit, cujus tenorem adumbravit Eſaias *cap. LIII, 10. & ſeqq. Et Dominus*, inquit, *voluit conterere eum* (Meſſiam) *in infirmitate: ſi poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longævum*: quaſi dicturus: Voluit Dominus filium ſuum in aſſumtâ carne pro peccatis hominum conteri & mori, propoſito hoc quaſi præmio, ut ſi ſeipſum hoſtiam pro iis obtulerit, viſurus ſit magno numero credentes, ſanguine ſuo ſibi acquiſitos, ſecumq; in regno gloriæ æternùm victuros. Confer locum Phil. II, 8, 9.

11. Ne verò quod nobis objiciunt Sociniani, videatur pugnare cum juſtitiâ Dei decretum illud æternum, quo Chriſtus pro hominibus, inſons pro ſontibus mori debuit; tria ſunt notanda: (I) *Chriſtum non pœnam propriè & formaliter ita dictam ſuſtinuiſſe*, ut qui ipſe non peccaverat; ſed tantum materiale pœnæ, ſcilicet malum paſſionis, quo nos plectendi eramus, in ſe ſuſcepiſſe, ut nos impunitate donaremur. I. *Pet. II*, 24. (II) non fuiſſe compulſum, ad mortem pro nobis oppetendam, ſed *ſemetipſum pro peccatis noſtris tradidiſſe* Gal. I, IV. Eph. V, 2. poſtquam ab æterno ea de re pactus cum DEO Patre fuerat. (III). Ut verum Deum, & omnium rerum dominum ſupremum, *poteſtatem habuiſſe ponendi animam* Joh. X, 17. ſive devovendæ pro aliis vitæ, quam ſi merus homo propriâ auctoritate ſibi ſumeret, injurius in Deum vitæ auctorem eſſet. Quibus ita obſervatis, non obſtant loca & præcepta, quibus Deus inſontem pro ſontibus occidi vetat, ut *Deut. XXIV*, 16. & *Ezech. XIIX*, 20.

12. Neque eò quicquam decedit Chriſti Satisfactioni, quòd cum nos tanto myriadum numero pœnam æternam promerueramꝰ, ipſe tantùm *temporalem*, imò *triduanam mortem*

S

tem eſt perpeſſus. Neque enim ſeorſum & ſecundum ſe ſpectanda eſt Chriſti mors, procul habitâ divinæ ipſius naturæ majeſtate: ſic enim nulla ejus ad mortem æternam unius hominis, nedum tot myriadum eſt proportio: Sed quatenus eam ipſe Deus, ſive Dei Filius, in carne aſſumtâ & ſibi propriâ ſuſtinuit: quomodo ad liberandos à morte æternâ omnes homines non tantùm ſufficientis, ſed infinitò majoris eſt pretii. Quò reſpiciens Petrus, *pretioſum ſanguinem* vocat, quo redemti ſumus I. ep. c. I, 18, 19. Et Paulus, ut infinitum ejus pretium ſubindicaret, *proprium Dei ſanguinem* laudat Act. XX, 28. Alibi *abundantiam gratiæ & donationis* appellitat Rom. V, 17. In quem locum vide egregiè commentantem Chryſoſtomum *homil. X.*

13. Pars læſa, & cui ſatisfieri oportuit, non eſt Deus ſub proprietate unius perſonæ, ſed ſub communione SS. Trinitatis. Hinc quando dicimur *reconciliati Deo* (Patri) *per mortem Filii ejus* Rom. V, 10. non excluduntur reliquæ perſonæ, ſed tantùm reſpectus inſinuatur, quem habet Chriſtus ad Deum Patrem, quatenus per æternam generationem *proprius & unigenitus ejus Filius eſt*: quomodo etiam intelligenda ſunt loca Gal. IV, 4. Phil. II, 10. Aliâs præciſo illo reſpectu, Chriſtus non magis Deo Patri, quàm Spiritui Sancto, imò & *ſibi ipſi*, ſed *ut quadantenus alii* ſatisfecit: ſcilicet non ut *Deus*; ſic enim eſt pars læſa; ſed ut *homo*: quanquam nec ut homo ſimpliciter; ſic enim erat inidoneus; ſed ut *homo, cujus actus ſatisfactorii ex hypoſtaticâ communione Deitatis eſſent infiniti pretii.* Sicut nimirum *actus ſatisfactorii* quoad ſubſtantiam humani ſunt, & divinum atque infinitum valorem tantùm obliquè connotant: ita & *ſatisfactor* in caſu recto & formaliter eſt *homo*, aut Deus, *quà homo*; ſed connotat hypoſtaticam communionem Deitatis, ſatisfactioni infinitum valorē im-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

impertientis. Quo ſenſu Apoſtolus *unum mediatorem Dei* (Triunius) *&* *hominum* prædicans, *hominem Jeſum Chriſtum* appellat, non expreſſâ, ſed ſubintellectâ in modum connotat Deitatis communione.

14. Pars altera, pro qua Chriſtus ſatisfecit, eſt *genus humanum*. Neque enim angelorum lapſorum bono in hunc mundum venit: ut qui *non Angelos* (non angelicam naturam) *ſed ſemen Abrahæ aſſumſit* Hebr. II, 16. Neque dum pro genere humano, etiam pro ſe ſatisfecit, ut qui *Sanctus, innocens, impollutus, ſegregatusque à peccatoribus*, non ullâ ſatisfactione indigebat Hebr. VII, 26. Sed pro *Protoplaſtis, & omnibus hominibus carnali modo ex Adamo progenitis, eoque iræ Dei & æternæ damnationi obnoxiis.* Quod tota paſſim ſcriptura illuſtribus teſtimoniis confirmat, ut *Eſ. LIII, 6. Rom. VIII, 32. I. Tim. II, 6. I. Joh. II, 2. II. Cor. V, 15. & alibi.*

15. Neque obſtat, quòd Protoplaſti, & maxima ab iis progenitorum pars multò antè deceſſerant, quàm Chriſtus pro humano genere ſatisfaceret, ut qui *in plenitudine temporis demum natus eſt de muliere* Gal. IV, 4. Satisfactionis enim fructus ad omnia retrò ſecula ſe extendit, cum ex valore infiniti pretii, tum ex tenore pacti æterni, & ſecundum præſcientiam Dei. Neque enim minor apud Deum vis & dignitas erat futuræ Satisfactionis, quam quidem certò futuram præſciebat, quàm fuit poſteà, & hodiè eſt adimpletæ. Hinc Apoſtolus de Chriſto redemtore ſcribit Rom. III, 25. *Quem propoſuit Deus propitiatorium per fidem in ſanguine ipſius, ad demonſtrationem juſtitiæ ſuæ, propter remiſſionem delictorum præcedentium.* Et S. Petrus Act. XV, 11. *Sed per gratiam Domini Jeſu Chriſti credimus nos ſalvari, quemadmodum & illi*, id eſt, noſtri in V. T. Patres.

16. Cæterùm in genere humano ab initio usque ad finem mundi alii ſunt *fideles & electi*, alii *increduli & reprobi.*

 Et

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

Et Chriſtum quidem *pro electis ſatisfeciſſe*, ab ſe manifeſtum eſt, quia fructum Satisfactionis, remiſſionem peccatorum, vitamque æternam aſſeqvuntur. Neque ſatisfactio per id evertitur, quòd *ex gratia ipſis remittuntur peccata ac condonantur*, ut paſſim ſcriptura docet. In ipſa enim pleniſſimâ Chriſti Satisfactione gratiæ & miſericordiæ Dei imputandum eſt (I) quòd cum ex rigore juſtitiæ ipſimet peccata noſtra (merita enim perſonalia ſunt) luere teneremur, innocenti alteri impoſita eſt Satisfactio, nos ut impunè abiremus Eſa. LIII, 6. (II) quòd Deus, peccatis quamlibet noſtris offenſus iratusque, Satisfactionem tamen per ſemet ipſum, ſuoque maximo impendio procuravit, dum *proprio filio non pepercit* Rom. IIX, 32.

17. Sed & pro reprobis, ſive iis, qui pereunt, Chriſtum Satisfeciſſe, eosque pro quibus Satisfecit, *perire poſſe*, ſole clarius eſt ex locis *Rom. XIV*, 15. *I. Cor. IIX*, 11. *II. Petr. II*, 1. Neque ideò injuſtè agit Deus, quòd pro quibus eſt Satisfactum, eos damnat. Sicut enim totum illud ex gratia eſt, quòd Deus alienam quantumvis pleniſſimâ Satisfactionem pro noſtra acceptat: Ita in Dei erat arbitrio, abſolutè an ſub conditione aliquâ ab hominibus præſtandâ eam acceptaret. Placuit Deo poſterius, ideoque hoc quaſi pactum cum hominibus inivit, ut ſi in Chriſtum crederent, per ſatisfactionem ipſius liberarentur à peccatis & impunitate donarentur. Et quod magis exaggerat Dei bonitatem, cum vires nobis ad credendum, ut oportet, nullæ eſſent, ipſe per verbi auditum gratiâ nos ſuâ prævenit. Qui itaque contumaciter manent increduli, in iis Deus iratus, ac juſtus judex, non immeritò jus ſuum proſequitur, ut quam promeriti ſunt pœnam, ab ipſismet exigat; non quòd pro illis non plenè ſit ſatisfactum; Sed quia Satisfactionis fructu per incredulitatem

ſemet

ſemet ipſos deſtituunt. Ubi enim gratuiti tenor pacti violatur, ibi juſtitiæ rigor reſumitur.

18. Cæterûm ut propius in tenorem ſatisfactionis Chriſti inquiramus, duo hic diſtingenda ſunt, quorum alterum ad alterum ſe habet, ut *cauſalitas* ad *effectum*, & ſpeciatim ut *actus ſatisfactorius* (ſive id quo Chriſtus ſatisfecit) ad *ſatisfactum*. Eſt autem Deo hoc ipſo ſatisfactum, quòd *expiata ſunt peccata noſtra*, quibus infinitam ejus majeſtatem læſeramus: & *paſſio ac mors Chriſti* eſt actus ſatisfactorius, ſive id quo expiavit peccata noſtra, adeoque Deo ſatisfecit. Utrumque Satisfactio in ſuo formali conceptu includit; at diverſo concipiendi modo. Aut enim eſt *expiatio peccatorum per paſſionem & mortem Chriſti*; quomodo Paulus ait, *nos eſſe reconciliatos Deo per mortem Filii ejus* Rom. V, 10. Aut ſi mavis, eſt *ipſa paſſio & mors Chriſti, quatenus per eam expiata ſunt peccata noſtra*; ad eum modum, quo dicitur I Joh. I, 7. *Sanguis Chriſti emundat nos ab omni peccato*. Utrobique alterum in caſu recto exprimitur, alterum obliquè connotatur.

19. Sicut autem actus Satisfactorius ſub hoc generali nomine ad munus mediatorium pertinet; ita ſpecialiori ratione *ſacrificium*, & eatenus actus *ſacerdotii* eſt, ut th. 3. præfati ſumus. Hoc enim præcipuum ſacerdotis munus eſt, *ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis*, Hebr. V, 1. In V. T. ubi mos ſacrificandi maximè viguit, plura frequentabantur oblationum genera, ſed hoc unum ſtrictè & propriè dictum erat ſacrificium, quod *mactatione & conſecratione animantis* peragebatur: Unde Hebræi à mactando זָבַח, Græci eadem ratione θυσίαν appellant. Sicut verò *cædes animantis* erat materiale tantùm, ita præterea *intentio ſacrificandi Deo ſecundum voluntatem ipſius* requirebatur, quod quaſi anima, & ſic formale ſacrificii. Utrumque in ſatisfactione Chriſti reperitur,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

tur, dum paſſus eſt ſe *agni inſtar mactari* Apoc. XIII, 8. eâ quidem intentione, ut *traderet ſemet ipſum pro nobis oblationem & victimam Deo in odorem bonæ fragantiæ* Eph. V, 2. Confer. Hebr. X, 10, 14.

20. Etſi autem in V. T. ipſe ſacerdos mactabat animal, quod ſacrificio devoverat: hoc tamen ad formalem rationem ſacerdotii non requiritur, & præterea cum Chriſtus ſe ipſum Deo immolavit, ἀσύςατον erat, ut ipſe ſe enecaret: quo in caſu cumprimis ſufficiebat immolandi intentio, cæde ſui aliîs permiſſâ. Unde Chriſtus *tradidit ſemet ipſum pro nobis victimam*, ſaltem interiori voluntatis affectu & intentione; puta (I) quòd cum poſſet ſalvus & incolumis elabi, Judæis ſe enecandum permiſit, ut ipſe confitetur. Joh. X, 18. (II) quòd cædem à Judæis ſibi intentatam illatamque Deo in ſacrificium pro peccatis hominum conſecravit: cum aliâs reſpectu eorum, qui innocentiſſimum *ſceleratis manibus cruci affixum interemerunt* Act. II, 23. horrendum crimen, & ſacrilegum eſſet parricidium.

21. Neque minus Chriſtus ſecundum utramque naturam noſter ſacerdos, quàm mediator eſt; niſi quòd in caſu recto poteſt concipi ut *homo*, quia ſacrificium ſecundum ſubſtantiam humanæ naturæ proprium eſt, connotatâ tamen obliquè hypoſtaticâ communione Deitatis, ſacrificio infinitum valorem impertientis, abſque quo eſſet, pro totius mundi peccatis non ſufficeret. Neque obſtat; quòd auctor ep. ad Hebr. c. V, 1. *Omnis Pontifex*, ait, *ex hominibus aſſumtus, pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum; ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis.* Nihil enim aliud ſignificat, quàm omnem Pontificem, qui reconciliare velit Deo homines, oportere eſſe hominem, & proinde Filium Dei quoque non prius ſacerdotem & Pontificem fuiſſe factum, quàm

quàm homo fieret. Non interim negat, Deum quoque eſſe oportuiſſe, ut ipſius ſacrificio infinitum pretium à Divinitate adſtrueretur. Imò ideò ſacrificium Chriſti *ſanguini taurorum & hircorum* præfert, quòd non tantùm animantis aut meri hominis, ſed illius ſit ſanguis, qui *per Spiritum æternum* (id eſt, per Divinitatem) *ſeipſum obtulerit inculpabilem Deo.* Hebr. IX, 13. & 14.

22. Effectus ſacrificii Chriſti eſt *peccatorum expiatio.* Hebr. II, 17. Idem effectus adſcribebatur olim ſacrificiis Leviticis, ut quæ etiam *offerebantur pro peccato*, ut videre eſt *Lev. XVI.* Sed hoc ſubeſt maximum diſcrimen, quòd ſacrificium Chriſti *propriâ virtute* expiavit peccata; at victimæ Leviticæ *virtute aliena*: puta quatenus per illas adumbrabatur futurum Chriſti ſacrificium, ita quidem, ut etiam nondum peractum ſub illis tanquam ſymbolis & figuris vim ſuam exſereret. Aliâs præciſo ſymbolico ad Chriſti ſacrificium reſpectu, *non poteſt ſanguis taurorum & hircorum auferre peccata* Hebr. X, 4.

23. Rem ita eſſe, auctor epiſtolæ ad Hebr. probat ex Leviticarum victimarum repetitione. Cumprimis ad annuum illud & maximè ſolenne ſacrificium, quod *Lev. XVI.* deſcribitur, reſpiciens decernit, *nunquam potuiſſe accedentes conſummare: alioquin deſiiſſe offerri, quod ſacrificantes ſemel purgati nullorum peccatorum amplius eſſent ſibi conſcii.* Hebr. X, 1. 2. Et eò diſtinguit ſacrificium Chriſti ab illis Leviticis, quòd *ſemel in cruce oblatum* expiandis totius mundi peccatis ſuffecerit, ut legimus cap. VII, 27. IX, 25, 26. X, 11.

24. Quod autem vis expiatrix mortis Chriſti ad omnia retrò ſecula ſe extendat, idem ſcriptor docet Hebr. IX, 15. Neque obſtat, quod de Teſtamento Chriſti agens ſubjicit: *Teſtamentum enim in mortuis ratum eſt, quandoquidem nondum*

valet

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

valet, cum vivit teſtator. Nihil enim aliud ſignificat, quàm teſtamentum Chriſti non prius fuiſſe conſummatum, aut non prius expreſſam & integram teſtamenti formam obtinuiſſe, quam teſtatoris mors interceſſiſſet: idque cùm ex naturâ teſtamenti in genere, tum ex analogiâ teſtamenti ſive pacti Moſaici probat v. 18, 19, 20. Interim ut fructum mortis Chriſti in V. T. anticipatum ſignificaret, paulò antè dixerat, *mortem interceſſiſſe, in redemtionem earum transgreſſionum, quæ fuerant ſub priori pacto.*

25. Cæterùm unctus fuit Chriſtus in ſacerdotem, ſecundum humanam naturã, in utero & ipſo conceptionis articulo, cùm Divinitas carnem ſui ipſius intimâ diſpenſatione inungeret quaſi & initiaret, ſecundum illud Pſalm. XLIV, 9. *Unxit te, Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* Quam unctionem Hieronymus in comment. ad Eſa. cap. LXI. dicit *expletam*, ſive conſummatam fuiſſe in Baptiſmo, per illapſum Spiritus Sancti; fortè quia tunc ſanctificatus fuit ad exercitium muneris, cujus poteſtatem in incarnatione per unionem perſonalem acceperat.

26. Et tantum de Chriſti ſatisfactione & ſacrificio. Properamus ad alterum ſacerdotii, & conſequenter mediatorii muneris actum, qui in oratione & precibus Deo allegatis conſiſtit. Nempe ſicut pro omnibus hominibus mortuus eſt Servator, ita etiam pro omnibus oravit, ſed aliter pro incredulis & reprobis, aliter pro fidelibus & electis. Hinc quod ipſe ait Joh. XVII, 9. *Ego pro iis* (id eſt, pro Apoſtolis) *rogo, non pro mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi, quia tui ſunt*; non per id à precibus ſuis prorſus excludit *mundum*, id eſt, *eos qui mundum diligunt*, quæ reproborum deſcriptio eſt; ſed quo argumento pro Apoſtolis orabat, eodem pro mundo ſe nec velle orare nec poſſe ſignificat: multò minus

ſic

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

ſic intelligendum eſt, quòd pro ſolis Apoſtolis oraverit: infrà enim *v.* 20. etiam pro iis ſe dicit orare, *qui per ſermonem ipſorum in ſe credituri eſſent.*

27. Oravivit autẽ Chriſtus pro Apoſtolis, & quibusvis fidelibus, hoc præcipuè argumento, ut Deus ipſos ad perpetuam in fide & pietate perſeverantiam magis magisque gratiâ ſuâ inſtrueret & ſervaret, ſicut ex precum formulâ apparet, quæ conceptis verbis legitur l. c. verſ. XI. *Pater Sancte, ſerva eos per nomen tuum, quos dediſti mihi, ut ſint unum, prout & nos.* Itẽ v. 15. *Non rogo, ut tollas eos de mundo, ſed ut ſerves eos à malo.*

28. Pro crucifixoribus interim ſuis, qui ſine dubio tunc temporis impœnitentes & increduli erant, ſic oravit: *Pater, remitte hoc ipſis: neſciunt enim, quid faciant.* Luc. XXIII, 34. Fac nonnullos poſteà egiſſe pœnitentiam, & credidiſſe: bonã tamen partem in impœnitentiâ & incredulitate deceſſiſſe non dubitamus. Quamobrem Chriſtus non tantùm pro illis infidelibus oravit, qui aliquando converſi crediderunt, & ſervati ſunt, ſicut *Joh. XVII,* 20. Sed & pro aliis, qui impœnitentes & increduli perierunt.

29. Sed & in cœlo jam regnans cum Deo patre, & ad ejus dextram aſſidens interpellare pro nobis non deſinit. Hinc Paulus Rom. IIX, 3. 4. *Quis eſt, qui condemnet? Chriſtus* (is eſt) *qui mortuus eſt: imò verò qui etiam ſuſcitatus eſt, qui etiam eſt ad dextram Dei, qui etiam intercedit pro nobis.* Æquè clarum eſt illud Hebr. VII, 25. *Unde & ſervare abſolutiſſimè poteſt eos, qui per ipſum accedunt ad Deum, ſemper vivens, ut interpellet pro eis.* Ad hanc in cœlo interpellandi ac perpetuò intercedendi pro nobis gratiam reſpicere videtur S. Johannes, I. ep. II, 1. ubi, *ſi quis peccârit, advocatum apud Patrem nos habere*, ait, *Jeſum Chriſtum juſtum.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

CAPUT VIII.

DE

PRÆDESTINATIONE ET REPROBATIONE.

1. Poſtquam actum fuit de Chriſto, videndum nunc eſt, quomodo Deus *nos in ipſo elegerit* (& prædeſtinârit) *ante jacta mundi fundamenta* Eph. I, 4. Siquidem à Chriſti merito, & huic innixo æterno prædeſtinations decreto tota ſalutis humanæ diſpenſatio dependet.

2. Quemadmodũ verbum *prædeſtinandi* unâ compoſitionis parte notat actum voluntatis, *quo aliquid ad certum uſum vel finem*, ſive *ut medium*, ſicut venæ ſectio ad ſanitatem, ſive *ut ſubjectum*, ſicut puer â patre ad ſtudia deſtinatur: Ita parte alterâ, quâ ex præpoſitione *præ* componitur, *anticipationem temporis* ſignificat; puta quòd ad finem perſona aliqua priùs, quàm finis eſt capax, aut priùs medium, quàm eſt in noſtra poteſtate, aut quàm eſt neceſſarium, deſtinatur: ut ſi puer ab utero, & antequam ſit natus, ad ſtudia; aut ſi hæreditas, antequam adeatur, ad bibliothecam vel alium uſum; aut ſi intermiſſa venæ ſectio ad medendum olim febri deſtinetur. Huic in N. T. reſpondet Græcum προορίζειν *Act. IV*, 27. *Rom. VIII*, 30. pro quo aliquando & ſimplex ὁρίζειν eadem ſignificatione uſurpatur, ut *Luc. XXII*, 22. *Act. II*, 22.

3. In præſentiâ *prædeſtinatio* notat actum, quo Deus quosdam ab omni æternitate, & ante quàm ulli homines exiſterent, ſive ut eſt apud Paulum, *ante jacta mundi fundamenta*, ad ſalutem ſive vitam, ſicut ſubjectum ad finem, deſtinavit & elegit. Quanquam ea implicitè ordinationem mediorum includit, vel connotat. Neque enim potuit Deus ullos prædeſti-

deſti-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

deſtinare ad ſalutem, niſi ſimul prædefiniendo media, per quæ olim ſalutem conſequerentur. Et viciſſim non poteſt concipi mediorum ad ſalutem præordinatio, ſine hominum prædeſtinatione. Interim in ſcripturâ aliquando hæc, aliquando illa directè & diſtinctè ſignificatur, alterâ obliquè & confusè connotatâ. Ita ad media pertinet, quòd Deus paſſionem & mortem, quam Chriſto intentaturi erant Judæi, ab æterno prædeſtinavit ſive prædefinivit, ut ad redimendum humanum genus ea ſcelcratis hominibus permitteretur, ſicut legimus *Act. IV*, 27. Confer loca *Luc. XXII, 22. Act. II, 23.* Item quòd *ſapientiam in myſterio abſconditam* (id eſt, prædicationem evangelii) *prædeſtinavit ante ſecula in gloriam noſtram* I. Cor. II, 7. Sed hominum ad ſalutem (tanquam ſubjecti ad finem) prædeſtinatio, directè & diſtinctè inſinuatur Rom. VIII, 30. *Quos enim præſcivit*, ait Apoſtolus, *etiam prædeſtinavit* (προώρισε) *conformandos imagini filii ſui.* Item Eph. I, 5. *Qui prædeſtinavit nos, quos adoptaret in filios.*

4. Aliàs primariâ ſignificatione ſynonyma in ſcriptura ſunt *prædeſtinatio* & *electio*, ſive *prædeſtinandi* & *eligendi* verbum, niſi quòd in illo particula (*præ*) anticipationem temporis, in hoc præpoſitio (*è* vel *ex*) comparationem plurium, & quorundam ex pluribus ſegregationem conſignificat. Nempe quatenus Deus homines inter ſe comparans, *ex omnibus quoſdam* tantùm prædeſtinavit, eatenus *elegiſſe*; quatenus verò *priùs* elegit, *quàm ulli homines exiſterent*, eatenus *prædeſtinâſſe* dicitur. Ambo verba juxtim ponuntur *Eph. I*, 4, 5.

5. Cæterùm prædeſtinationem plures alii actus, tùm intellectûs, tum voluntatis Dei, anteceſſerunt; non quòd in Deo detur prius & poſterius reverà; (uno enim ſimpliciſſimo actu omnia ſcit & vult) Sed ob diverſam objectorum ad ſe invicem habitudinem, & quoad imperfectum noſtrum

concipiendi modum. Prout ſcilicet objectorum unum altero prius eſt, aut ab altero pendet: ita ex parte actuum Dei diverſa momenta ſive inſtantia, quæ alii *ſigna rationis* appellant, cogitamus, quorum uno Deum hoc, alio aliud præſciviſſe & voluiſſe concipimus.

6. *Primùm* & ante omnia ab æterno decrevit Deus *hominem condere ad ſui imaginem*, id eſt, cum ſapientia, juſtitia & ſanctitate; & ſi pro libertate arbitrii morali pariter ac uni poſitivæ legi obedientiam præſtaret, æternæ beatitudinis participem facere. *Deinde* prævidit, quem dicta cum libertate arbitrii eſſet conditurus hominem, ſpontaneo motu legem ſuam transgreſſurum, ſibique & poſteris æternam perniciem attracturum eſſe. *Tertiò* pro inexhauſtâ ſuâ miſericordiâ genus humanum, præ diabolis, quos etiam peccaturos prævidit, ex miſeriâ eripere & æternæ ſaluti reſtituere conſtituit. Et hic incipit *efficax voluntas & intentio finis*, ſcilicet de redimendo lapſo humano genere.

7. *Quartò*, præſuppoſitâ intentione finis, media circumſpexit & ordinavit, idque triplico actu: (I) Cùm non poſſet miſereri lapſorum hominum, quin etiam juſtitiæ ſuæ rationem haberet; *Filium ſuum mittere decrevit*, qui in aſſumtâ carne pro peccatis noſtris moreretur ac ſatisfaceret, aditumque ad vitam æternam repararet. (II) poſt pactum cum Chriſto ea de re initum, & prævíſum ipſius meritum infiniti pretii, *omnes ſalvare conſtituit, qui in Chriſtum usque ad finem vitæ credituri eſſent*. (III.) Cùm homines peccato corrupti propriis viribus credere in Chriſtum nequeant, ſtatuit Deus *per verbum prædicatum ſingulari gratiâ fidem in ipſis accendere*, niſi operationi & gratiæ huic ſuæ contumaciter repugnarent.

8. Huc usque fuit *mediorum ad ſalutem humanam praordinatio*,

natio, quam mox ſecuta eſt *hominum*, aliorum quidem ad ſalutem *electio*; aliorum æterna *reprobatio*; prout Deus alios media ordinata amplexuros, alios ea repudiaturos prævidit. Hinc cum S. Paulus ait Eph. I, 11. fideles eſſe *prædeſtinatos ſecundum propoſitum ejus, qui omnia agit ex conſilio voluntatis ſuæ*; ſicut à *prædeſtinatione* diſtinguit *propoſitum Dei*, non quòd ipſa aliud quid ſit, quàm *propoſitum* Dei, ſed quòd in ſigno rationis aliud Dei propoſitum eam anteceſſerit; ita cumprimis eâ cæteroquin generali voce intelligere videtur *propoſitum reparandæ per modò deſcripta media ſalutis humanæ:* quippe quod decreti prædeſtinationis ſive electionis fundamentum eſt. Confer Rom. VIII, 28. II. Tim. I, 9.

9. Differt autem prius decretum à poſteriori, tanquam univerſale à particulari. Media nimirum Deus pro omnibus hominibus ab æterno ordinavit, ut qui omnium miſereri, pro omnibus Chriſtum mori, & niſi contumaciter reſiſterent, omnibus per verbum prædicatum fidem dare, & hunc in finem quoque omnibus verbum prædicari voluit, niſi vel ipſi vel ipſorum majores ſuapte culpâ hoc beneficio excidiſſent. Hinc paſſim ſcriptura teſtatur, *Deum velle omnes homines ſalvos fieri* II. Petr. III, 9. I. Tim. II, 4. *Chriſtum pro omnibus hominibus eſſe mortuum* Rom. VIII, 32. I. Tim. II, 5. I. Joh. II, 2. *Evangelium eſſe prædicatum in toto terrarum orbe* Mat. XXVIII, 19, Rom. X, 18. Col. I, 6, 23. At quia Deus decretũ ſalvandorum omnium hominũ ad conditionem fidei & finalis in fide perſeverantiæ adſtrinxerat; ideò in alio ſigno rationis comparans inter ſe futuros homines, cùm non omnes credituros, nec qui crederent, omnes in fide deceſſuros prævidiſſet, non omnes quoque ad ſalutem elegit, eòque particulare electionis decretum eſt.

10. Ab hac diſtinctione parum aut nihil differt illa, quâ

Damaſcenus, quem recentiorum nonnulli ſequuntur, voluntatem Dei in *antecedentem* & *conſequentem* diſpeſcuit. libr. *II. de orth. fid. cap. XXIV.* Per illam, ait, *Deum ut bonitate præſtantem primariò quidem OMNES homines ſervari, ac regno ſui compotes fieri velle*; per hanc verò, *ut juſtum, iis quoque qui peccant, pœnam inferre nihilominùs velle.* Item: illam *ex ipſo Deo exiſtere*; hanc *ex noſtro vitio ortum ducere*: puta quia, cum Deus ex ſe & bonitate ſuâ velit *omnes homines* ſalvos fieri, ſtat per ipſos, quò minùs omnes ſalventur: quanquam quâ voluntate Dei quidam reprobati ſunt, eâdem decretum electionis factum eſt particulare, ut ita eatenus hoc quoque ad voluntatem Dei conſequentem referri poſſit, & à plerisque referatur.

11. Ex quibus nullâ difficultate intelligitur, *prædeſtinationem ſive electionem eſſe actum voluntatis divinæ, quo Deus ab æterno hominum lapſorum miſertus, per & propter meritum Chriſti ſalvare conſtituit, quotquot eorum in Chriſtum ad finem vitæ credituros prævidit.*

12. Hoc ipſo, quòd *actus voluntatis divinæ* eſt, connotat cauſas, ut *efficientem, impulſivam; objectum, finem.* Quanquam ut quilibet actus Dei immanens, ita quoque prædeſtinatio non eſt in numero eorum, quæ reverà produci & cauſari poſſunt; quia quoad rem ipſa Dei eſſentia improducta eſt; à nobis ſaltem in modum actus concipitur, prout ſic vel aliter ad objecta terminatur. Unde quæcunque prædeſtinationis aſſignatur cauſa, non *formaliter*, ſed (ut Cajetanus diſtinguit *l. 1. poſt. cap. II.*) *virtualiter* cauſans eſt, hoc eſt, *ratio à priori eſt, quæ quoad noſtrum imperfectum cognoſcendi modum perinde ſe gerit, ac ſi reverà illius cauſa eſſet.* Vide noſtras Inſtit. Metaph. cap. XI. §. 24.

13. Sicut omnes Dei actus immanentes eò imitantur *opera*

pera ad extra; quòd æquè ſunt indiviſi, ac toti SS. Trinitati communes: ita quoque decreti prædeſtinationis *cauſa efficiens* eſt Deus Trinunus. Niſi quòd aliquando Deo Patri per appropriationem tribuitur, ut cum Paulus ait Eph. I, 2. *Deum Patrem nos in Chriſto elegiſſe*: quanquam hîc ſimul reſpectus indicatur, quem habet Deus Pater ad Chriſtum, cum aliâs ut ad naturalem & unigenitum Filium, tum hîc ſpeciali ratione ut *eligens* ad electionis *cauſam meritoriam*.

14. Cauſa impulſiva interna, quæ Græcis προηγουμένη dicitur, eſt *gratia Dei*, prout hac voce *gratuitus Dei erga genus humanum favor* intelligitur, & *operibus noſtris* opponitur. Quo ſenſu ait Paulus II. Tim. I, 9. *Qui ſervavit nos, non ex operibus noſtris, ſed ex propoſito & gratiâ, quæ data eſt nobis in Chriſto Jeſu ante tempora ſecularia*: id eſt, ex gratiâ, quâ nos in Chriſto ante tempora ſecularia elegit. In definitione gratiam illam Dei verbo *miſerendi* indigitamus, habito reſpectu ad miſeriam lapſi generis humani, cujus quaſi compaſſio quædam eſt *miſericordia* divina, & operibus quoque noſtris opponitur, ut Tit. III, 5. Quò cumprimis ſpectat illud Apoſtoli: *Igitur* (electio) *non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei* Rom. IX, 16. Sunt & aliæ voces æquipollentes, ut *Charitas Dei* Eph. II, 4. φιλανθρωπία Tit. III, 4. Item εὐδοκία τοῦ θελήματος θεοῦ, *benevola Dei voluntas*, cui prædeſtinatio imputatur Eph. I, 5.

15. Cauſa impulſiva externa, aliâs προκαταρκτικὴ dicta; ſicut ex parte lapſorum hominum eſt ipſorum *miſeria*, quatenus Deum in præſcientiâ ad miſericordiam & quaſi compaſſionem ſui incitavit; ita cum non poſſet Deus noſtri miſereri, niſi juſtitiæ ſuæ eſſet ſatisfactum, ex parte Chriſti mediatoris erat ipſius *ſatisfactio ac meritum* infiniti pretii; aut ſi mavis, ipſe *Chriſtus, quatenus pro nobis ſatisfecit*, vel potiùs in decre-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

decreto ac præſcientia Dei *Satisfacturus erat*. Unde quod ait Apoſtolus Eph. I, 4. *Sicut elegit nos in ipſo* (Chriſto) *ante mundi conſtitutionem*: non ibi per particulam ἐν ἀυτῷ Chriſtus ſignificatur eſſe *cauſa efficiens* electionis, quanquam reverà cum Patre & Spiritu S. nos elegit; Sed eſſe *mediator noſter*, eoque electionis *cauſa meritoria*, ut ſenſus ſit: *Deum nos in Chriſto elegiſſe*, velut in mediatore, ſive eo, qui pro nobis erat in aſſumta carne moriturus ac ſatisfacturus. Quem ſenſum antecedentia & conſequentia ſubindicant. Eandem ſignificationem habet particula ἐν de Chriſto uſurpata *Eph. I, 9. I. Cor. XV, 22. Gal. II, 15*. Nec dubiè cauſalitas cauſæ meritoriæ per particulam διὰ (*per*) inſinuatur, ut Eph. I, 5. *Qui prædeſtinavit nos in adoptionem Filiorum per Jeſum Chriſtum*.

16. Firmum huic doctrinæ argumentum præbet decreti electionis executio, quæ in juſtificatione & ſalvatione conſiſtit. Benè enim ſequitur: Deus in tempore nos juſtificat & ſalvat *ex mera gratiâ ac miſericordiâ* Eph. II, 8. II. Tim. I, 9. Tit. III, 5. per meritum tamen Chriſti, ſive ut Paulus loquitur, *per redemtionem factam in Jeſu Chriſto* Rom. III, 24. *perque ſanguinem ejus* Eph. I, 7. Ergo quoque ab æterno ex merâ *gratiâ & miſericordiâ*, per & propter *meritum Chriſti*, nos ad ſalutem elegit: quia una & immutabilis eſt Dei voluntas.

17. Neque pugnantia ſunt, nos eſſe electos ex merâ Dei *gratiâ & miſericordiâ*, & tamen per ac propter *meritum Chriſti*: quandoquidem & meritum Chriſti merè *gratuitum* eſt, ut ſuprà de ſatisfactione Chriſti docuimus. Quamobrem in ſcriptura ſæpe conjunguntur, cum ut cauſæ ſubordinatæ, tum quia gratia Dei ſimul cauſa eſt meriti Chriſti. Quo ſenſu ait Paulus II. Tim. I, 9. *gratiam* (electionis) *nobis eſſe datam in Chriſto Jeſu* (i. e. per meritum Chriſti) *ante tempora ſecularia*. Iisdem cauſis Apoſtolus imputat juſtificationem Rom. III, 24.

18. Cum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

18. Cùm autem *gratia Dei & meritum* Chriſti ad omnes omnino homines ſe extendant, nec tamen omnes ſint electi; neceſſum eſt, aliud quid in ipſis hominibus Deum prævidiſſe, cujꝰ intuitu quosdã eligeret, aliis reprobatis. Non illud eſt *meritũ noſtrorũ operũ*, ſiquidẽ *gratia Dei & opera noſtra* opponũtur, ſecundũ illud Pauli Rom. XI, 6. *Quod ſi per gratiã* (eſt facta electio) *nõ jam ex operibus: alioquin gratia jam non eſt gratia. Si ex operibus, jam non eſt gratia: alioquin opus jam non eſt opus.* Sed eſt *unica in Chriſtum fides.* Quod rurſus à poſteriori ex decreti electionis executione probatur. Valet enim conſequentia: *Deus intuitu fidei nos in tempore juſtificat & ſalvat*, ceu ex Rom. III, 28. Gal. II, 16. Eph. II, 8. & aliis pluribus locis liquet. Ergo *quoque intuitu fidei nos ab æterno ad ſalutem elegit.*

19. Sicut igitur unâ ex parte diſſentimus à Calvinianis, qui homines non intuitu ullius motivi externi, ſed *abſoluto Dei decreto*, eoque priùs electos cenſent, quàm Deus vel Chriſtum illis redemptorem, vel fidem in Chriſtum dare conſtituiſſet, ut adeò neque *meritum Chriſti*, neque *fides* electionis, ſed hæc potiùs illorum cauſa haberi debeat: ita ex parte alterâ longè quoque ab iis abſcedimus, qui electionem *intuitu operum noſtrorum* factam ſtatuunt. Quandoquidem *fides* & *opera* opponuntur, ceu liquet ex Rom. III, 28. Gal. II, 16. Ergo ſi intuitu *fidei* facta eſt electio, non eſt facta intuitu *operum*. Excluduntur autem non tantùm opera, quæ *propriis viribus* homo poteſt præſtare, quibus olim electionem imputabant Pelagiani; Sed & quæ renati in *virtute gratiæ* perficiunt, quibus hodiè eam imputant Pontificii.

20. Neque verò fides ex parte hominum prædeſtinandorum, ut *nuda conditio*, requirebatur, ſed *cauſa* quoque erat æternæ prædeſtinationis, non minùs quàm hodiè cauſa juſtificationis & ſalutis noſtræ eſt. Quanquam ſicut *cauſa inſtrumen-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

mentalis physica non agit, niſi in virtute cauſæ principalis: itaquoque *fides in genere cauſæ impulſivæ* non potuit movere Deum, neque ad juſtificandum ſalvandumque homines, neque ad ſalutem ipſis ab æterno decernendam, niſi *virtute & dignitate unius meriti Chriſti, quod apprehendit*; cùm interim hoc, quia infiniti eſt pretii, per ſe ac *propriâ virtute* Deum moverit, moveatque. Quamobrem merito Chriſti fides, ut cauſæ *principali minus-principalis*, ſubordinatur; neque refert, utrum *fidem* eſſe cauſam dicas, *quatenus apprehendit meritum Chriſti*; an verò *meritum Chriſti*, *quatenus fide eſt apprehenſum:* quomodo unam quaſi adæquatam ſive completam cauſam (ſc. *impulſivam externam*) conſtituunt.

20. Sicut vero nulla cauſa impulſiva externa movet ad agendum, niſi mediâ ſui *cognitione:* ita meritum Chriſti quoque & fides, præſertim ab æterno, & ſic infinitò priùs, quàm exiſterent, non moverunt Deum ad electionem, niſi *in præſcientiâ*, ſecundum illud Pauli Rom. VIII, 2. *Quos præſcivit*, (ſcilicet in Chriſtum usque ad finem vitæ credituros eſſe) *hos etiam prædeſtinavit.* Nec deerrant à vero, qui *præſcientiam* iſtam cauſam æternæ electionis dicunt. Licet enim non moveat voluntatẽ Dei in genere *cauſæ impulſivæ externæ*, ſicut meritum Chriſti fide apprehenſum; eò tamen, quòd cauſam impulſivam externam voluntati Dei repræſentat, ſimul cauſa electionis eſt, ſaltem virtuali cauſandi actu, & eatenus quidem *impulſiva interna*, quatenus in ipſo Deo ineſt. Unde cum I. Petr. I, 52. fideles dicuntur *electi* κατὰ πρόγνωσιν θεοῦ, *ſecundum præſcientiam Dei*, particula κατὰ rectè in ſignificatione cauſandi accipitur.

21. Præſcientia interim fidei, licet neceſſaria ſit & infallibilis, non tamen electis credendi neceſſitatem infert, ſed ſuam cuique libertatem relinquit, quia tantùm ex hypotheſi ne-

ſi neceſſaria eſt. Non ſcilicet homines ideò credunt, quia Deus præſcivit eos credituros eſſe; Sed potius quia liberrimè credituri erant, ideò Deus neceſſariò & infallibiliter eorum fidem ab æterno prævidit. Cum autem homo *in peccatis ſit mortuus*, eoque *fides* non virium naturæ opus, ſed *donum ſit Dei* Eph. II. 1, 8. quomodo nihilominus homini poſt lapſum competat credendi libertas, ſequens de converſione caput explanabit.

22. Finem proximum electionis tàm *electos* ipſos eſſe, quàm *ſalutem*, ad quam electi ſunt, res quoque ipſa docet. Metaphyſici illum finem *cui*, id eſt, cui ſalus per æternam electionem appetitur; hunc finem *cujus* appellant. Ex utroque finis integer & adæquatus eſt *electorum quisque, quatenus ſalvandus*. Sed poſt hunc finis ulterior, atque ultimus eſt bonitatis & gloriæ divinæ demonſtratio, ſicut Paulus ait Eph. I, 5, 6. *Qui prædeſtinavit nos ad laudem glorioſæ ſuæ gratiæ* &c.

23. Prædeſtinationi ex adverſo reſpondet reprobatio. Auguſtinus, Fulgentius & alii aliquando eam quoque *prædeſtinationem* nuncupant, non quidem ſimpliciter, ſed cum addito, *ad pœnam*, *ad ſupplicium*: cum interim ad *cauſam ſupplicii*, quod eſt peccatum ipſum, ullos eſſe prædeſtinatos conſtanter negaverint. Cæterùm hunc vocis uſum neque ſcripturæ, neque antiquioribus congruere non ignorantes, ſæpius ac rectius eá in meliorem partem ſumtâ *electionem ad vitam* deſignârunt.

24. Eſt autem reprobatio *actûs voluntatis divinæ, quo Deus ab æterno, juſtâ & immenſâ adverſus præfractos peccatores irâ incitatus, damnare & æternis pœnis afficere conſtituit, quotquot in impœnitentiâ & incredulitate deceſſuros prævidit.*

25. Cauſa impulſiva *interna* hîc eſt juſta & immenſa atque implacabilis Dei adverſus præfractos & impœnitentes pec-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

catores iræ. Qua de causâ reprobi dicuntur *vaſa iræ aptata in interitum*, ſicut è contrario electi *vaſa miſericordiæ præparata in gloriam* Rom. IX, 22, 23.

26. Cauſa impulſiva *externa*, eſt finalis quorundam *incredulitas*. Etſi enim Deus pro inexhauſta ſua miſericordiâ omnes homines in Chriſtum credere, atque adeò per Chriſti meritum fide apprehenſum ſervari voluit, ea ſcilicet voluntate, quam cum Damaſceno *antecedentem* appellavimus: cùm tamen comparans inter ſe homines prævideret, quosdam propriâ culpâ incredulos ad finem vitæ manſuros, hos ipſos ob finalem incredulitatem voluntate *conſequente* reprobavit. Id quod rurſus ex decreti hujus executione liquet. Cur enim in tempore quidam homines damnentur, cauſam ipſe ſervator aſſignat eorum *incredulitatem*, cum ait Joh. III, 18. *Qui verò nō credit, jam condemnatus eſt, quia non credidit in nomē unigeniti Filii Dei.* Et de Judæis docet Apoſtolus, *ob incredulitatem eſſe fractos* Rom. XI, 20. Ex quo indubitatò ſequitur, Deum ab æterno quoque homines ob finalem incredulitatem reprobâſſe, ſive æternæ damnationi addixiſſe: quia una & immutabilis eſt Dei voluntas.

27. Cæterùm dum *finalem incredulitatem* nominamus, non excludimus alia peccata, cujusmodi ſunt (I) *Impœnitentia*, in qua fundatur & certo modo includitur incredulitas: hoc enim ipſo, quòd aliquis impœnitens manet ad finem vitæ, incredulus decedit. (II) *peccata deliberato animo & contra conſcientiam commiſſa*: ſiquidem finalis impœnitentia & incredulitas nihil aliud eſt, quàm perpetua in hujusmodi peccatis perſeverantia. (III) *peccatum originis*, & qui hinc proximè oriuntur, inordinati & repentini concupiſcentiæ motus: quandoquidem & hæc peccata impœnitentibus & incredulis ad pœnam imputantur.

28. Si

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

28. Si interim ab originali & actualibus peccatis abſit finalis impœnitentia & incredulitas, etiamſi ex ſe & naturâ mortem æternam promereantur, non tamen ab æterno in præſcientia Dei fuere cauſa reprobationis. Etenim (I.) *peccatum originis*, & profecta hinc peccata involuntaria, quæ Tertullianus *quotidianæ incurſationis* appellat, fidelibus quoque atque electis adhærent, ob quæ tamen ipſi ab æterno non ſunt reprobati, quoniam Deus eos verâ fide meritum Chriſti apprehenſuros, & peccata ſibi invitis adhærentia deprecaturos prævidit. (II) *peccatum deliberato animo & contra conſcientiam commiſſum* quodvis, ſicut ſinit eſſe locum pœnitentiæ, niſi ſit in Spiritum Sanctum: ita actâ pœnitentiâ, per & propter meritum Chriſti fide apprehenſum condonatur.

29. Aut ergo *originale* & *actuale* peccatum ad finalem impœnitentiam & incredulitatem habent ſe, ut cauſa *remota* reprobationis ad *proximam*; quâ tamen ratione remotior cauſa eſt peccatum *originale*, quàm quod *contra conſcientiam* committitur *actuale*; aut conjunctim unam adæquatam cauſam conſtituunt, quam dixeris eſſe *peccatum tam originale quàm actuale quodlibet, quatenus cum finali impœnitentiâ & incredulitate ſunt conjuncta.* Ita Judas non præcisè fuit reprobatus ob peccatum proditionis Chriſti, ſed quatenus cum deſperatione, adeoque *finali incredulitate* erat conjunctum, absque quâ fuiſſet, peccati quantumvis graviſſimi gratiam ac remiſſionem potuiſſet impetrare.

30. Quia verò nec *finalis incredulitas* ab æterno movit Deum ad decretum reprobationis, niſi in *præſcientia*: hujus quoque aliqua, ſed longè alia, quam illius, fuit cauſalitas. Nempe cum finalis incredulitas movit Deum, ut cauſa impulſiva *externa* & meritoria: tùm præſcientia habuit ſe, ut

 cauſa

cauſa *interna*, & eò maximè, quòd voluntati Dei repræſentavit incredulitatem hominum, antequàm ulli exiſterent.

31. Neque hic præſcientia, etſi certa & neceſſaria eſt, tollit libertatem arbitrii, quia tantùm *ex hypotheſi* neceſſaria eſt. Poſito ſcilicet, quòd quidam *propriâ culpâ* increduli ad finem vitæ eſſent manſuri, Deus illorum finalem incredulitatem ab æterno prævidit, nec potuit non prævidere. Quod autem quicunque non credunt, *ſuâ ſponte ac culpâ* non credant, futura de converſione diſſertatio docebit.

32. Finis reprobationis eſt tùm malitioſæ impœnitentiæ & incredulitatis vindicatio, tum potentiæ & juſtitiæ divinæ demonſtratio. Quemadmodum ſcribit Paulus Rom. IX, 22. *Quod ſi Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientiâ vaſa iræ aptata in interitum.*

CAPUT. IX.

DE

DE REGENERATIONE ET CONVERSIONE.

1. Ab æternæ electionis *decreto* progredimur ad ejus *executionem*; in qua, quia electi ſumus ſecundum præſcientiam *fidei*, *fideque* juſtificamur & ſalvamur, id primum nobis datur negotii, ut explanemus, quomodo & quâ actione ac quibus viribus homines ad fidem ſalvificam perducantur.

2. Et primùm quidem quod *actionem* attinet, quâ fides in animo hominis accenditur vel generatur; ea pro diverſâ hominum conditione & ætate diverſa nomina ſortitur. In adultis pariter atque infantibus, quando utrique primùm inſeruntur Christo & familiæ ejus, *regeneratio* nuncupatur, cui reſpondet vox παλιγγενεσία Tit. III, 5. Prout autem adulto-

rum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

rum propria eſt, *converſio* & *pœnitentia* appellatur, quibus in N. T. reſpondent voces ἐπιστροφὴ (Act. XV, 3.) & μετάνοια. Converſio quidem eſt eorum præcisè, qui p. t. ſunt extra ſtatum gratiæ; ſeu quia nunquam in eo fuerunt, ut Ethnici & Judæi: ſeu quia per peccata mortalia eo exciderunt, qui idcircò *lapſi* dicuntur. At pœnitentia non tantùm infidelium ac *lapſorum*, ſed & fidelium ac *ſtantium* eſt: quemadmodum vulgò ea diſtingui ſolet.

3. Vix autem una regenerationis in adultis atque infantibus eſt ratio; ut vel inde patet, qvòd adulti per *verbum*, advertente ratione, ſed infantes ante omnem rationis uſum, per *baptiſma* regenerantur, quod idcircò *lavacrum regenerationis* dicitur, Tit. III, 5. Hujus loci cumprimis eſt adultorum regeneratio, alterâ quæ infantûm eſt ad locum de baptismo reſervatâ.

4. Sicut *imago divina* reſidebat in facultatibus animæ, *intellectu, voluntate* & *appetitu*: ita *regeneratio*, per quam illa quodāmodo reſtauratur, in iisdē fiat neceſſum eſt; cumprimis autem in *intellectu* & *voluntate*; ſed & eatenus in *appetitu*, quatenus ab hoc ſuperioribus facultatibus objici poteſt impedimentum, ne regenerationis gratiam ſuſcipiant.

5. Terminus â *quo* eſt ejus, quod per regenerationem in hominem introducitur, privatio: ſcilicet *carentia omnium virium Spiritualium*, quæ neceſſariæ ſunt homini, ut credat in Chriſtum, comprimat deſideria carnis, & ſecundum Spiritum vivat. Quam unâ voce ἀδυναμίαν appellare lubet, ſubintellige *ad fidem alioſque actus Spirituales*. Hujusmodi ἀδυναμία in omnibus hominibus irregenitis eſt *peccatum originis*, hoc ipſo, quòd *carentia eſt juſtitiæ originalis*, per quam homo eſt ineptus ad omnes actus Spirituales, & viciſſim pronus ad carnales motus; etiamſi ponamus, abeſſe malitiam

ſponte

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

ſponte contractam, quæ in nonnullis malè educatis conjuncta eſt cum peccato originis.

6. Speciatim ex parte intellectûs illa ἀδυναμία eſt omnimoda in ſpiritualibus *cæcitas*, puta quòd *animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei: & NON POTEST cognoſcere, quia Spiritualiter dijudicantur* I. Cor. II, 14. Quò reſpiciens Chriſtus ait Joh. VI, 65. *NEMO POTEST venire ad me* (id eſt, credere in me) *niſi fuerit ei datum à Patre meo.* Et Paulus Epheſios ante ſui regenerationem *tenebras fuiſſe* dicit cap. V, 8.

7. Ex parte voluntatis eſt ἀδυναμία ſive *ineptitudo proſequendi bona ſpiritualia*; tum quia voluntas ex ſe eſt peccato corrupta; & *legi Dei non ſubiicitur, nec enim poteſt* Rom. VIII, 7. tùm quia ſequitur intellectûs judicium, quod in ſpiritualibus eſſe cœcum vidimus; denique quia *à cupiditate* (bruti appetitûs) *abſtrahitur & ineſcatur.* Jacob. I, 14. Sed & ex parte appetitûs eſt *ineptitudo obſequendi Spiritui & comprimendi deſideria carnis.* Quanquam hæc eatenus tantùm per regenerationem tollitur vel minuitur, quatenus fidei conceptionem in intellectu & voluntate impedit.

8. Ex oppoſito terminus *ad quem*, ſive id quod per regenerationem in hominem introducitur, ſunt ipſæ *vires ſpirituales*, non ad menſuram imaginis Dei ſive juſtitiæ originalis, ſed in quantum ad credendum in Chriſtum vitamque Spiritualem inchoandam ſunt neceſſariæ, perque hujusmodi actus jam ſeſe exerunt.

9. Particulatim in intellectu eſt *lux ſpiritualis*, eoque ipſa regeneratio vocatur *illuminatio*, quâ homines, *apertis oculis, à tenebris ad lucem convertuntur* Act. XXVI, 18. & ipſi regeniti dicuntur *illuminati* Hebr. VI, 4. *eſſe in luce* I. Joh. II. imò *eſſe lux in Domino* Eph. V, 8.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

7. In intellectu & voluntate ſimul eſt *fides habitualis*, ſive in actu primo, quo principium eſt vitæ ſpiritualis, ſicut anima vitæ. Hinc quod S. Johannes ait I. cap. V, 1. *Quisquis credit, Jeſum eſſe Chriſtum illum, ex Deo natus eſt*: ſic intelligimus, nativitatem & regenerationem ex Deo terminari ad fidem;& hoc ipſo aliquem jam regeneratum eſſe, quòd credit, ſive fidem habet. Sed & in appetitu per regenerationem aliqua non tam abſolvitur quàm inchoatur facultas, quâ ille captivatur *ſub obſequium Spiritûs*, ne perficiat deſideria carnis, & ſic fidem ſalvificam impediat. Cujus incrementum & perfectio per *renovationem* acquiritur.

8. Medium, per quod adulti ad fidem regenerantur, eſt VERBUM; quandoquidem *fides eſt ex auditu; auditus autem per verbum*. Rom. X, 14, 17. Hinc I. Petr. I, 23. fideles dicuntur *renati non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili, per verbum Dei vivi & permanentis in æternum*. Ut autem *verbum* ſit efficax regenerationis organon, requiritur tum *cauſa principalis*, ſcilicet Deus, qui *voluntariè genuit nos verbo veritatis*, Jacob. I, 18. tum *miniſterialis*, ſive quæ verbum ad uſum applicat, qualem ſe Paulus profitetur, cum ait I. Cor. IV, 5. *Ego in Chriſto Jeſu per evangelium vos genui.*

9. Verbo medium ſubordinatum eſt *baptiſma*. Neque enim de infantibus tantùm, ſed etiam de adultis intelligendum eſt, quod ait ſervator: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non poteſt introire in regnum cœlorum*. Joh. III. Nempe ut regeneratio adultorum omnem illam perfectionem nanciſcatur, quam Deus in verbo ſuo requirit, duo ſunt neceſſaria: (I) ut *fides in ipſis generetur*; (II) ut *genita obſignetur*. Utrumque, ſed illud interdum, interdum hoc, *renaſcendi* verbo ſignificatur; hoc quidem, cum adulti *ex aqua & Spiritu* (id eſt, ex baptiſmo) illud cum *per verbum re-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

naſci dicuntur. Una interim eſt regeneratio, quæ primùm per verbum fit, & facta poſtmodùm per baptisma obſignatur. Unde cum Chriſtus diſcipulos ſuos in univerſum orbem emitteret, primùm *gentes docere* (verbum) dein etiam *baptizare* juſſit. Matth. XXVIII.

10. Quò minus autem infantes per *verbum* regenerentur, obſtat ipſorum ætas; cum interim per *baptisma* regenerari poſſint ac debeant. Nam *verbum*, adjuvante Spiritu Sancto, exſerit ſe hoc ipſo, quòd movet regenerandum *ad agnitionem peccatorum*, & *deliberatam meriti Chriſti apprehenſionem*; ad quos quidem actus *uſus rationis* requiritur. At *baptisma*, vi ordinationis & promiſſionis divinæ, movet Deum, ut per illud in infante operetur, ipſumque regeneret, licet qui baptizatur infans, *pœnitendi & credendi ſenſum non habeat*, ut loquitur Auguſtinus de peccat. mer. & remiſſ. cap. XIX. Quanquam cum ætatis & rationis incremento neceſſaria quoque eſt *regeneratio per verbum*, non tanquam nova & prorſus alia, ſed ut quæ *per baptismum* facta eſt, notitiâ articulorum fidei, & pœnitendi credendique ſenſu augeatur. Ut ita pateat, in infantibus quoque media ſubordinata eſſe baptisma & verbum.

11. Quod ſi verò adultus per peccata mortalia regenerationis gratiam excutiat, denuò regenerandus eſt, non iterato baptismo (quia hic ſemel collatus morali quadam ἐνεργείᾳ, cæteris paribus, perpetuò ſeſe exſerit) ſed actâ pœnitentiâ, & ſic regeneratione per verbum repetitâ, quâ fructus baptiſmi ad tempus interceptus reſtituitur; nempe ut, vi illius quantumvis dudum collati, fides per verbum denuò accenſa, obſignetur. Hinc quod Auguſtinus tract. XI. in Joh. ſcribit, *Spiritualem nativitatem iterari non poſſe*; non eſt verum, niſi de baptiſmo intelligatur, de quo ipſe tan-

dem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

dem laudatus ſcriptor id exponit, ſubjiciens: *Jam natus ſum de Chriſto; non poteſt iterum me generare Chriſtus; quomodo uterus non poteſt repeti, ſic nec baptismus.*

12. Ab adultorum regeneratione huc usque explicatâ nihil differt ipſorum converſio: niſi quòd verba *regenerandi* & *convertendi* differunt ſignificatione Grammaticâ. Illud nunquam niſi *tranſitivè*, hoc etiam *intranſitivè* accipitur. Nempe non homo ſeipſum, ſed *Deus hominem*, Jacob. I, 18. aut etiam *homo hominem regenerat*, ſaltem ut cauſa miniſterialis, I. Cor. IV, 15. Sed utrumque in ſcriptura dicitur, & quòd *homo ſe convertat*, ut Deut. XXX, 2. Matth. XIII, 15. & quòd *Deus hominem* Jer. XXXI, 18. vel *homo hominem convertat*, ſaltem ut cauſa miniſterialis, ut Luc. I, 16. Jacob. V, 19, 20.

13. Eatenus igitur converſio planè idem eſt cum regeneratione, quatenus æquè *tranſitivè* ſumitur. Qua quidêratione eſt *actio Spiritûs S. quâ ipſe hominem ſeu nondum antehac renatum, ſeu ex ſtatu regenerationis per peccata mortalia deturbatum, niſi contumaciter repugnet, per verbum illuminat & flectit, tum ad agnoſcendum peccata & dolendùm de illis, tùm ad credendum in Chriſtum, cum propoſito abſtinendi ab illis.*

14. Converſio intranſitivè ſumta nihil differt à pœnitentia, quæ infidelium ſive lapſorum dicitur, eſtque *actio immanens hominis, quâ ipſe gratiâ præventus, & auxilio Spiritus S. adjutus, ex lege divinâ peccata agnoſcit, & dolore ob illa affectus, in merito Chriſti confidit, cum propoſito abſtinendi ab illis.*

15. Cæterùm realiter non differunt converſio, prout eſt *actio Spiritus Sancti*, & prout eſt *actio immanens hominis.* Spiritus S. enim convertit hominem hoc ipſo, quòd facit ipſum agnoſcere peccata, dolere & credere. Nunc verò hæc Spiritus S. operatio eſt eadem cum illa, quâ homo agnoſcit peccata, dolet de illis, & credit. Hoc unum intereſt,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

quòd Spiritus S. in homine, & ab ſe; ſed homo dependenter à Spiritu S. & in ſemetipſo operatur. Quò fit, ut quæ reſpectu Spiritûs S. *actio tranſiens*, ſive actio tantùm eſt, eadem ex parte hominis *actio immanens*, ſive actio & paſſio ſimul ſit.

16. Medium, ut ſuprà, eſt *verbum*, prout *legem & evangelium* complectitur. Per legem enim Spiritus S. excitat peccatorem ad *agnitionem peccatorum* ac *contritionem*, ut Chriſtum in evangelio quærant; quâ ratione lex *pædagogus noſter in Chriſtum* appellatur Gal. III, 24. Per evangelium ipſam *fidem* accendit, quod idcircò dicitur *verbum fidei* Rom. X, 8.

17. Non autem unâ operatione Spiritus S hominem ad fidem convertit, ſed priùs mentem & voluntatem ejus excitat, diſponit, & præparat; quin & ab impedimentis credendi aliquà liberat. Quæ Spiritûs S. operatio, præeunte Auguſtino, gratia *excitans, præparans, diſponens, liberans* appellari ſolet. Quin & ad excludendum concurſum liberi noſtri arbitrii nunc gratia *operans*, quòd in nobis ſine nobis, ſeu nobis non cooperantibus, operetur; nunc *præveniens*, quòd hominem nihil tale cogitantem præveniat, dici conſuevit. Quò cumprimis reſpiciunt noſtri Theologi, cum hominem ad ſui converſionem ſe merè *paſſivè* habere docent.

18. In ſcripturâ prima illa Spiritûs S. operatio variis ſimilitudinibus & metaphoris adumbratur, cujuſmodi ſunt: *Dominum ſtare ad oſtium* (cordis noſtri) *& pulſare* Apoc. III, 20. *Cor aperire*, ut verbum in illud immittatur; quemadmodum *adaperuit cor Lydiæ, ut attenderet iis, quæ à Paulo dicerentur* Act. XVI, 14. *Deum auferre Cor lapideum* Ezech. XI, 19. *nos ut ad Chriſtum veniamus, trahere* Joh. VI, 44. Verùm hæc omnia generalia ſunt.

19. Specialiùs ut dicam, accommodat ſe Spiritus S. ad illum

lum operandi modum, qui facultatibus animi per naturam convenit. Cumque mentis ſit *cogitare*, & voluntas *velle* ac *deſiderare*; ideò operando eas præveniens Deus facit, mentem ſanctè cogitare de bonis Spiritualibus, quæ in verbo offeruntur, & voluntatem pio deſiderio in illa ferri. Quò fit, ut gratia præveniens ac prima operatio Spiritus S. nihil aliud ſit, quàm in mente *ſancta quædam cogitatio*, & in voluntate *pium quoddam velle, ſive deſiderium*.

20. Et certè ex parte voluntatis in homine nihil prius eſſe, quàm pium quoddam *velle*, teſtatur Paulus, cùm ait Phil. II, 13. *Deus eſt, qui in vobis operatur velle & perficere, pro bonâ voluntate.* Scribit quidem ad Philippenſes, ut ad converſos: Sed quid vetat id quoque ad inconverſos extendi, perque *τὸ velle* intelligi primum illud deſiderium, quo Spiritus S. voluntatem operando prævenit? Nec aliud *experientia* nos docet. Quis enim eſt, cui cum verbum Dei audit & meditatur ſedulò, non in mentem veniat ſancta aliqua cogitatio, conjuncta cum pio voluntatis motu? Et quid eſt, quòd Deus *cor Lydiæ aperuit*, niſi quòd mentem ejus cogitatione ſanctâ, pioque deſiderio voluntatem prævenit?

21. Eadé eſt ſententia B. Chemnitii, qui part. 1. loc. Theol. de lib. arbitr. cap. VI veluti accuratè concepta laudat, & ſua facit hæc Richardi verba: *Liberi arbitrii conatus craſſi ſunt, ſi à gratia non adjuventur, & nulli, ſi non excitentur. Excitat autem Deus, cùm ſeminat bonum cogitatum. Nam immittendo bonam cogitationem nos prævenit.* Et paulò antè ex Auguſtino, cui eâ in re ſe prorſus adſtipulari fatetur, apertè docuerat, *Sanctam cogitationem, bonum propoſitum, cupiditatem ſeu deſiderium boni, eſſe gratiam prævenientem, donum &* (primam) *operationem Spiritus Sancti.*

22. Reſpondent motus illi initiales *κατ᾽ ἀναλογίαν* ipſis acti-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

actibus, quibus converſio perficitur, niſi quòd hi deliberati ſunt & liberi, illi ex præventione Spiritus S. repentini. Nempe dum *legem* audit & conſiderat peccator, prævenitur cogitatione propriorum peccatorum, iræque Dei; Cui in voluntate reſpondet ſubitus de peccatis dolor, cum abſtinendi deſiderio. Dum porro attendit *evangelio*, prævenitur cogitatione & quaſi ſemiplenâ approbatione promiſſionum Dei bonorumque promiſſorum, puta quòd illæ non ſint humanæ ac temerè fallaces, hæc ſalutaria nec adſpernanda. Cui in voluntate reſpondet deſiderium magis magisque attendendi evangelio, quæque illo vel docentur vel promittuntur, percipiendi uberius. Hujusmodi & cogitatione & deſiderio præventa omnino erat Lydia, cum Deus ipſi *cor adaperuiſſet, ut* (magis magisque) *attenderet iis, quæ à Paulo dicerentur*.

23. Etſi verò ejusmodi motus à mente & voluntate *vitali modo* procedunt; neque enim Spiritus S. ſed mens ſanctè *cogitat*, ac voluntas piè *deſiderat*: cæterà tamen omne eſſe ſuum accipiunt ex influxu Spiritus Sancti: qui uti in intellectu *teſtificatur, Spiritum* (id eſt, doctrinam Spiritus) *veritatem eſſe*, I. Joh. V, 6. ita in voluntate *operatur velle* Phil. II, 13. *trahente Patre* Joh. VI, 44.

24. Sicut attentioni ſuccreſcunt illi motus, continuante internum teſtimonium Spiritu Sancto; ita ſenſim & paulatim facultates animi ad credendum promiſſionibus, bonaque promiſſa proſequendum inclinant. Quanquam hæc initiò languidior eſt inclinatio, à qua multi reſiliunt, antequam credant. Sicut Argrippa cum Paulum de Chriſto & merito ipſius prædicantem audiret, non quidem credidit; at credendi inclinationem non planè nullam, quam niſi ſimulatam gratiæ prævenienti meritò adſcribimus, præ

ſe tu-

ſe tulit, quòd diceret Paulo: *Propemodum perſuades mihi, ut fiam Chriſtianus*. Act. XXVI, 28. Qui autem, dum non deſiſtunt audire verbum Dei, primæ ſanctæ cogitationi, pioque deſiderio immorantur: hi cum incremento illorum motuum vires tandem acquirunt, quibus inſtauratur quodammodo liberum arbitrium, quod poſt lapſum, ſi ſibi relinquatur, eſt *ſervum peccati*, Rom. VI, 20. Atque hic eſt prævenientis gratiæ ac primæ operationis Spiritus Sancti proximus atque immediatus effectus.

25. Voce & conceptu liberi arbitrii directè intelligitur ipſa *voluntas*, quatenus poſitis omnibus ad volendum requiſitis, poteſt velle aliquid & non velle, hoc & aliud velle; Sed obliquè connotatur *cognitio intellectus*, qua voluntati oppoſita vel diverſa, cum rationibus convenientiæ & diſconvenientiæ, repræſentantur. Nunc verò *intellectus* poſt lapſum innato lumine *non percipit ea, quæ ſunt Spiritus*, (quàm ſcilicet ſint vera, bona & ſalutaria) ſed pro *ſtultitia* reputat, I. Cor. II, 14. præſertim quia nec voluntatis nec appetitûs naturali inclinationi conveniunt. Cùm & *voluntas* à Deo ad creaturas, à bonis Spiritualibus ad carnalia eſt ab ſe proclivis; tùm magis magisque *inordinati appetitus* conſortio corrumpitur. Quæ & alia ſuperiùs memorata efficaci argumento ſunt, hominis ſibi relicti poſt lapſum adeò nullum in Spiritualibus eſſe *liberum arbitrium*, ut ad illa proſequenda ne conatum quidem aliquem, ſicut oportet, adferre poſſit; in tanta ſcilicet intellectûs cœcitate, & voluntatis, appetitusque malitia.

26. Per motus autem prævenientis gratiæ, ſenſim & paulatim auctos, Spiritus Sanctus novas & Spirituales vires facultatibus animi, alias intellectui, alias voluntati addit; & in *intellectu* quidem, mediâ ſanctâ cogitatione, *lucem ſpiritualem*, ſeu hujus aliquam ſcintillulam accendit;

volun-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

voluntati, medio motu pii deſiderii, *facultatem adſpirandi ad bona ſpiritualia*, ſeu *illa quoquo modo proſequendi*, impertit. Quibus viribus, nihil abeſt, quin aliquo modo *liberum arbitrium* inſtauretur.

27. Sicut vero *virium Spiritualium*, ita & *liberi arbitrii* ſunt gradus. Debiliores ſunt, quæ ex gratiâ præveniente, ante converſionem, ſuppetunt vires, quàm quæ in ipſo converſionis articulo, per gratiam adjuvantem & cooperantem, conceduntur. Ergo & hìc perfectiori gradu quàm ibi eſt liberum arbitrium. Quanquam in nullo poſt lapſum ſtatu, inque nullo ne ſanctiſſimo quidem homine tantæ eſt perfectionis, quantæ erat in ſtatu integritatis, à quo peccatum prorſus aberat. Quandoquidem hodiè in converſis quoque ob reſiduum originis peccatum *lucta inter carnem & Spiritum* eſt perpetua, teſte Paulo Gal. V, 17. Rom. VIII, 7. Multò ergo magis hanc luctam multoque vehementiorem eſſe ante converſionem colligimus, cum quæ ex gratiâ præveniente ſuppetunt vires liberi arbitrii, haud paulò ſunt languidiores.

28. Quamobrem *liberum arbitrium*, quantumvis gratiâ præventum & quodammodo inſtauratum, nihil tamen ne in virtute quidem gratiæ ad converſionem ſui valet, niſi *cooperante & adjuvante Spiritu S.* per novam & à primâ diſtinctam operationem, quæ inde *gratia adjuvans & cooperans* apud Auguſtinum dicitur. Hinc quicquid in Spiritualibus agit aut conatur homo, quantumvis gratiæ viribus inſtructus, id omne ſcriptura operanti & cooperanti Deo acceptum refert. *Deus*, ait Paulus, *operatur in vobis*, *qui creditis* I. Theſſ. II, 13. *Agit omnia in omnibus* I. Cor. XII, 6. *Complet opus fidei potenter* II. Theſſ. I, II. *operatur in vobis & velle & perficere, pro bonâ voluntate* Phil. II, 13.

28. Quod

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

29. Quod ſi quis contenderet, Paulum locis citatis maximam partem loqui de converſis & renatis; non de hominibus gratiâ tantummodò præventis, & adhuc convertendis: Certè ab illis ad hos, quod præſens attinet, valet conſequentia. Videlicet ſi converſi & renati non poſſunt ullum habere motum Spiritualem, ne quidem in virtute gratiæ habitualis, niſi cooperante & adjuvante Spiritu Sancto, ſecundum illud Chriſti effatum ad diſcipulos: *Sine me* (id eſt, niſi vobis cooperer, & feram opem) *nihil* (quicquam in Spiritualibus) *poteſtis facere* Joh. XV, 5. Multò minus ſine novo Spiritûs S. auxilio conari quicquam poterunt gratiâ tantummodò præventi, & nondum converſi: quandoquidem in his, ut dictum, vires Spirituales liberi arbitrii multò quàm in illis imbecilliores ſunt.

30. Itaque quod homini ante ſui converſionem tribuimus liberum arbitrium, viribus gratiæ quodammodo inſtauratũ, in eo conſiſtit, quòd *intellectu & voluntate gratiâ internâ auctis, & parato Spiritûs Sancti auxilio, poteſt agere pœnitentiam, & non agere, credere in Chriſtum & non credere*; quæ quidem libertas contradictionis eſt; item *poteſt carnalia bona Spiritualibus, & hæc illis præferre:* quæ eſt libertas contrarietatis. Fundamentũ utriusque libertatis eſt, quòd homini non datur gratia, quâ voluntas ipſius ad converſionem ita determinetur, ut non poſſit non converti; ſed quæ tantùm vires convertendi ſe credendique in Chriſtum addit, relictâ interim ad oppoſitos & carnales motus pari non tantùm potentiâ, ſed & majori inclinatione. Quandoquidem quæ ante converſionem incipit *lucta carnis & Spiritûs*, ſatis arguit, utrumque eſſe in hominis gratiâ præventi poteſtate, ut carni adverſus Spiritum, & Spiritui adverſus carnem obſequatur: niſi quòd ex remanente labe originali, veletiam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

am malitiâ ſponte contractâ, ad deſideria carnis perficienda quàm ad obſequendum Spiritui eſt proclivior: quæ tamen proclivitas, ſicut non tollit liberum arbitrium, ſed diminuit; ita per *gratiam determinantem* (*neceſſitantem & irreſiſtibilem* alii appellant] nos non converti abundè evincit.

31. Hinc Deus non ſemel in ſcripturâ, nec nullis argumentis & motivis, nos ad verbum ſuum ita audiendum adhortatur, ut ne gratiæ per illud ad pœnitentiam & fidem nos excitanti contumaciter repugnemus. *Hodiè*, inquit Pſaltes, *ſi vocem ejus* (Dei) *audiveritis, nolite obdurare corda veſtra*, Pſalm. XCV, 8. id eſt, nolite gratiæ per verbi auditum vos prævenienti excitantique reſiſtere, ſed viribus inde acceptis novis *agite pœnitentiam & credite evangelio*, à qua adhortatione prædicationem evangelii exorſus eſt Servator Marc. I, 15. Item: *Si volueritis & audieritis me* (gratiam meam in animum admittendo) *bona terræ comedetis. Quod ſi nolueritis, & me ad iracundiam promoveritis* (gratiam meam rejiciendo) *gladius devorabit vos.* Eſa. XIX, 20. Quæ & aliæ adhortationes ac dehortationes, præſertim ſub pollicitatione præmiorum & pœnarum comminatione, fruſtraneæ eſſent omnes, niſi Deus homini per verbum ita vires aſſentiendi adſpiraret, ut unà libertatem diſſentiendi repugnandique relinqueret. Et quid pro iſthac libertate dici poterat clariùs, atque illud Dei teſtimonium: *Ecce poſui hodiè ante te vitam atque bonum, mortem denique & malum &c. Elige igitur vitam, ut vivas tu & ſemen tuum.* Deut. XXX, 15, 19. Certè vitam Spiritualem præ morte, bonum præ malo eligere, uti non virium naturæ, ſed voluntatis gratiâ præventæ, ita ſine dubio liberi eſt arbitrii.

32. Idem ex eo patet, quòd ſcriptura his, qui manent impœnitentes & increduli, culpam impœnitentiæ & incredu-

dulitatis impingit. Quorum autem eſt culpa, eorum eſt liberum aliquod arbitrium. Non de iis hic loquimur, *qui omittunt audire verbum Dei*, extra quod nemini contingit gratia; ſive *directâ intentione*, ſi contemnant; ſive *indirectâ*, ſi intereà curæ rei familiaris vel aliarum rerum vacent; aut qui obiter & ſine attentione audiunt (quandoquidem *auditio* & *attentio* ſunt actus naturales, quorum exercendorum & omittendorum poteſtas non arguit liberum in Spiritualibus arbitrium) ſed de his, *qui dum attendunt verbo Dei, gratiâ quâ præveniuntur excitanturque*, *interiùs repugnant*.

33. Quanquam illa quoque adverſus gratiam internam repugnantia non uniusmodi eſt. Alia *involuntaria* eſt, à qua nemo quisquam hominum, ne converſorum quidem, nedum convertendorum, eſt immunis, poſtquā natura hominis peccato eſt corrupta, & in converſis quoque labes originalis remanet. Inde enim in *intellectu* oriuntur de ſubito *dubitationes*; ſive de veritate verbi Dei & promiſſionum ejus; ſive de ipſa, an ad ſe pertineat, Dei gratiâ: *in voluntate* & *appetitu* conſurgunt *deſideria carnis*. Verùm eſt in hominis non tantùm converſi, ſed etiam gratiâ præventi & jam ad converſionem diſpoſiti poteſtate, dubitationibus mentis non deliberatò conſentire, & deſideriis carnis non obtemperare, ſed in virtute internæ gratiæ, & adjuvante denuò Spiritu Sancto, obniti & obluctari, ſicut *lucta* hæc deſcribitur loc. cit. Rom. VIII, 7. Gal. V, 17. Quod ſi fiat; tum repugnantia illa involuntaria, contra internam gratiam, converſionem non impedit. Altera eſt *voluntaria*, & in eo poſita, quòd homo, quantumvis gratiâ præventus, non obluctatur dubitationibus mentis & deſideriis carnis, ſed deliberatò conſentit & obtemperat. Quò quis ſæpe à malitiâ præter connatum peccatum originis ſponte contractâ magis ma-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

giſque inclinatur. Et qui ita repugnat interiori gratiæ & operationi Spiritus S. culpâ ſuâ non convertitur.

34. Sed & voluntaria repugnantia fit dupliciter (I) *indirectâ voluntate*, puta cum quis non tàm gratiæ repugnare, quàm deſideria carnis amat perficere, quibus gratia excutitur, & converſio impeditur. Sicut dives adoleſcens, à Chriſto quomodo ſalvari poſſet erudiri diſcupiens, cum juberetur *vendere omnia, quæ haberet, & dare pauperibus*; præ nimio divitiarum amore non potuit à ſe, ut obſequeretur, impetrare. Matth. XIX, 21. (II) *directâ intentione*, veluti cum phariſæi doctrinæ Chriſti quantumvis miraculis & interno teſtimonio Spiritûs Sancti confirmatæ, non tantùm non aſſenſi ſunt, ſed etiam contradixerunt, repudiatâ, quam ex interno Spiritûs S. teſtimonio perſentiſcebant, gratiâ. Quo nomine ipſos objurgat S. Stephanus Act. VII, 51. *Duri cervice, & incircumciſi corde & auribus, vos ſemper Spiritui S. reſiſtitis: ſicut patres veſtri; ita & vos.* Et Lucas cap. VII, 29. *Eo* (Chriſti ſermone) *audito, totus populus & publicani juſtificaverunt Deũ, baptizati baptiſmo Johannis: PHARISÆI verò & legis interpretes conſilium Dei adſpernati ſunt adverſus ſemet ipſos, non baptizati ab eo.* En! cum omnes ſermonem Chriſti audiiſſent; publicanis tamen & toto populo converſis, phariſæi manſerunt inconverſi & increduli, non aliâ de cauſâ, quàm quòd *conſilium Dei adſpernati ſunt*. Quam ipſorum contumaciam accuſat quoque & conqueritur Chriſtus Matth. XXIII, 37. Joh. V, 37, 38, 40,

35. Neque verò libertati arbitrii gratiâ excitati obſtat, quòd noſtri Theologi docent, hominem ad ſui converſionem ſe habere *purè paſſivè*. Neque enim id volunt, hominem planè nihil agere in ſui converſione, ne quidem in virtute gratiæ; ſed ſicut unâ ex parte excludunt *activum con-*

cur-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

curſum virium naturæ, puta quòd *non ſimus idonei ex NOBIS IPSIS ad cogitandum quicquid* (boni in Spiritualibus) *velut ex NOBIS IPSIS* II. Cor. III, 5. ita ex parte alterâ ſignificant, hominem tanquam *ſubjectum patiens* præveniri à Spiritu S. illuminari, moveri & impelli, atque ita novis & Spiritualibus viribus donari. Conſtat quidem ex ſuperioribus, hominem novas quoque illas vires media unâ atque alterâ actione vitali recipere, dum Spiritus S. mentem ſanctè cogitare, & voluntatem piè velle facit: Verùm cum homo, ut creatura ratione utens, tùm demùm dicatur agere, cùm conſultò & liberè agit (qua de cauſâ Ariſtoteles negat, *animatum ullũ agere præter hominẽ* l. 1. Magn. Moral. cap. XII.) ad motus autem illos initiales ex præventione Spiritûs S. quisque ſit determinatus: utique eorum reſpectu non tam ut is habet, *qui agit*, quàm *qui agitur*, eoque magis quòd non à propriâ naturâ & interna inclinatione, ſicut ad iram vel alios affectus, ſed ab externo principio, præveniente ſcilicet Spiritu Sancto, ad illos motus agitur & determinatur.

36. Poſtquam verò quis gratiâ præventus, ſenſimque ac paulatim novis viribus eſt auctus, quin tùm in virtute gratiæ internæ, & adjuvante Spiritu S. conſultò ac voluntariè ad ſui converſionem annitatur & cooperetur, non ampliùs dubitari poteſt, & docet diſertè B. Chemnitius de liber. arbitr. cap. VII. *Quæ ergo*, inquit, *de gratiâ præveniente, præparante, & operante traduntur, habent hunc ſenſum, quòd non noſtræ partes priores ſint in converſione; ſed quòd Deus per verbum & afflatum divinum nos præveniat, movens & impellens voluntatem. Poſt hunc autem motum voluntatis divinitùs factum, voluntas humana non habet ſe purè paſſivè, ſed mota & adjuta à Spiritu Sancto, non repugnat, ſed adſentitur, & fit* συνεργὸς *Dei.*

37. Quâ quidem in parte homo *gratiâ præventus* ad ſui

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

converſionem *activè* concurrit dupliciter: (I) *removendo probibens*, dum in virtute gratiæ internæ, & adjuvante Spiritu Sancto, luctatur adverſus carnem, ejusque deſideria comprimit, quibus aliàs deliberatò admiſſis fides & converſio impediretur; Secundum monitum Pauli Gal. V, 16. *Spiritu ambulate, & deſideria carnis ne perficite.* (II) *ipſos actus, quibus converſio perficitur, eliciendo*, dum ſcilicet quis, compreſſis carnalibus deſideriis, & ſic prohibente remoto, ſeriò agnoſcit peccata, dolet de illis, & in Chriſtum credit; idque rurſus conſultò & voluntariè, ſed in virtute gratiæ internæ, & adjuvante Spiritu S. ſicut Paulus ait l. c. ἡ ἱκανότης ἡμῶν ἐκ τοῦ θεοῦ, *quòd idonei ſumus* (ad actus Spirituales) *id ex Deo eſt.*

38. Effectus converſionis huc usque explicatæ eſt, ut *ex infideli & incredulo fiat fidelis*: quandoquidem terminus *à quo* incredulitas, & terminus *ad quem* oppoſita fides eſt. Sicut verò ante ſui converſionem homo non *infidelis* & incredulus dicitur, quatenus actualis fidei eſt expers, ſed quatenus ex corrupta naturâ, & ob connatum originis peccatum, niſi regeneratus & converſus, ne credere quidem poteſt; ita ex oppoſito per converſionẽ non eò fit *fidelis*, quòd actu incipit credere; quanquam reverà in converſione actualis fidei fit initium; ſed quòd *fidem habitualem* acquirit, quam non ita appellamus ob perfectionem (initiò enim etiam fides habitualis eſt debilior) ſed ut à *fide actuali*, tanquam vis & potentia credendi ab actu, vel ut Scholæ loqvuntur, velut *actus primus* ab *actu ſecundo* diſtinguatur. Terminari autem converſionem ad fidem *habitualem* potiùs, quàm *actualem*, vel inde patet, quòd homo pro eo etiam tempore, quo actũ fidei non elicit, eſt & manet converſus, ſaltem quia fide habituali eſt præditus.

39. Cùm verò non per unum actum ex infideli fiat fidelis,

lis, ſed per plures, quorum alii longiùs à fide abſunt, alii proximè eam antecedunt & inferunt: notandum eſt, converſionem capi poſſe bifariàm (I) pro *iis ipſis actibus, qui fidem habitualem inferunt*: ad quos, qui præcedunt actus motusque Spiritûs Sancti, animum diſponunt: perinde ut generatio ſubſtantialis à præviis diſpoſitionibus diſtinguitur. (II) pro *complexu omnium actuum*, tam ad fidem diſponentium, quàm proximè & immediatè eam inferentium: quomodo converſio motus gratiæ prævenientis, luctam Spiritûs adverſus carnem, conſultam agnitionem peccatorum, voluntariam contritionem, propoſitum melioris vitæ, aſſenſum deniqueſ fiduciamque complectitur.

40. Quærenti jam, utrum converſio fiat *in inſtanti*, an *ſucceſſivè*, pro diversâ converſionis acceptione utrumque dici poſſe reſpondemus. Si priori modo accipiatur: eam in inſtanti fieri neceſſum eſt, licet quæ præcedunt diſpoſitiones, ſucceſſu temporis fiant. Nempe quo momento aliquis aſſentitur promiſſionibus Dei, inque his & merito Chriſti confidit; eodem fidem, quam habitualem appellamus, acquirit, eſtque ſic converſus. Sin poſteriori modo; tempore & morâ eſt opus: (I) quia indeliberati motus gratiæ prævenientis antecedunt, & hos alii deliberati ſeqvuntur, ut conſulta agnitio peccatorum, voluntaria contritio, propoſitum melioris vitæ. (II) quia etiam horum actuum alii aliis priores ſunt, ſicut agnitio peccatorum tempore prior eſt contritione, & utraque prior propoſito melioris vitæ, aſſenſu & fiduciâ. (III) quia unus etiam idemque actus ſucceſivè intenditur, ſicut qui incipit jam conteri & dolere de peccatis, ſenſim ac paulatim magis magisque conteritur ac dolet. (IV) quia deſideria carnis, quatenus quidem fidei obſtant, morâ demum comprimuntur, contrà luctante Spiritu.

40. Ni-

41. Nimirum ubi Spiritus S. gratiâ præveniente excitat animum ad agnitionem peccatorum & contritionem, ac propoſitũ melioris vitæ; Caro ab his actibus avertit, peccata excuſat, commiſſis ſeſe oblectat, & in alia propendet. Ubi idem Spiritus hominem jam agnoſcentem peccata, & dolentem de illis, inclinat ad aſſentiendum promiſſionibus divinis, & confidendum in merito Chriſti; rurſus caro ſe opponit Spiritui, & ex ejus rebellione in intellectu oritur dubitatio de promiſſionum divinarum veritate, in voluntate diffidentia, cumprimis ex metu iræ Dei, promeritique æterni ſupplicii. Hiſce profectò impedimentis ac difficultatibus ſuperandis perrumpendisque mora aliqua requiritur, licet in uno minor quàm in altero, prout quisque ſupra peccatum originis plus minusve malitiæ ſibi ſponte contraxit, unde longior vel brevior carnis adverſus Spiritum lucta.

42. Confirmat hanc doctrinam B. Chemnitius, inde quoque cumprimis ducto argumento, quòd voluntas gratiâ ac Spiritu præventa non merè paſſivè ſe habeat, ſed in virtute Spiritûs adverſus carnem luctetur. Verba ejus hæc ſunt: *Converſio ſeu renovatio* (quam voce latiùs acceptâ ita appellat) *non eſt talis mutatio, quæ uno momento ſtatim omnibus ſuis partibus abſolvitur & perficitur. Non ergo cogitandum eſt: Securâ & otiosâ voluntate exſpectabo; donec renovatio ſeu converſio, juxta gradus recenſitos, operatione Spiritûs Sancti, ſine meo motu abſoluta fuerit. Neque enim in puncto aliquo Mathematico oſtendi poteſt, ubi voluntas liberata agere incipiat. Sed quando gratia præveniens, id eſt, prima initia fidei & converſionis homini dantur, ſtatim incipit lucta carnis & Spiritûs, & manifeſtum eſt, illam luctam non fieri ſine motu noſtræ voluntatis.* Idem in actibus, quibus inchoatur converſio & perficitur, gradus quoque, quoad intentionem & remiſſionem agnoſcit. *In principio,*

inquit,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

inquit, *deſiderium eſt obſcurius, aſſenſus languidior, obedientiæ tenuior: & illa dona oportet creſcere. Creſcunt autem in nobis, non ſicut truncus violento impulſu provehitur, vel ſicut lilia non laborantia, non curantia creſcunt: ſed conando, luctando, quærendo, petendo, pulſando: hoc non ex nobis; donum Dei eſt.*

43. Et tantum etiam de converſione. Agendum nunc eſſet de *pœnitentiâ*, & eâ præcipuè, quæ *lapſorum* aut *infidelium* eſt: Sed quia illa, ut th. XIV. dictum, nihil differt à converſione intranſitivè ſumtâ, quam hactenus unà expoſuimus, hoc nos labore ſuperſedere poſſe exiſtimamus.

CAPUT. IX.

DE IUSTIFICATIONE ET RENOVATIONE.

1. Poſt *regenerationem* proximum eſt, ut de *juſtificatione & renovatione* agamus. Non ſemper quidem diſtingvuntur hæ voces apud Theologos, ſed aliquando una pro altera, ſicut *regeneratio* nunc pro *renovatione*, nunc pro *juſtificatione* accipitur aliquando quaſi non eſſent diſtincti actus, fortè quia indiviſibili nexu cohærent, uno *regenerationis* vocabulo omnes comprehenduntur, ſicut annotant Auctores Form. Conc. decl. art. III.

2. Verùm rectè illi tanquam diſtinctos actus accipiunt, & unum altero, licet non tempore, naturâ tamen priorem eſſe docent. *Primùm*, inquiunt, *in converſione* (ſive regeneratione) *per Spiritum S. fides ex auditu evangelii in nobis accenditur. Illa verò apprehendit gratiam Dei in Chriſto, quâ perſona juſtificatur. Cum verò perſona jam juſtificata, tùm etiam per* Spiritum S. *renovatur & ſanctificatur.* Nempe *regeneratio* (ſive converſio) eſt prior tum *juſtificatione*, tùm *renovatione*,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

tione, quia per illam accenditur *fides*, quæ cauſa juſtificatio-
nis & renovationis eſt; illius quidem, quatenus *apprehendit meritum Chriſti*; hujus, quatenus ſimul *per caritatem efficax eſt*. Et quia prius eſt, fidem apprehendere meritum Chriſti, quàm per caritatem efficaciter operari; ideò juſtificatio quoque prior eſt renovatione.

3. Non autem uno modo verbum *juſtificare* ſive δικαιοῦν in ſcripturâ accipitur. (I.) quandoque idem eſt, quod *juſtum aliquem prædicare*, ut Luc. VII, 29. ἐδικαίωσαν τὸν θεὸν, *juſtificârunt Deum*. Confer. 1. Tim. III, 16. (II) idem aliquando eſt, quod *erudire aliquem ad juſtitiam*, & ſic doctrinâ juſtitiæ augere, ut Dan. XII, 3. וּמַצְדִּיקֵי הָרַבִּים *& qui multos juſtificant*. (III) quia *juſtitia inhærens* & *ſanctitas* non differunt, ideò etiam *juſtificare* nonnunquam idem eſt, quod *ſanctificare*, id eſt, augere juſtitiâ inhærente, & ſic juſtum ſanctumque facere. Quomodo Pontificii accipiunt illud Apoc. XXII, 11. ὁ δίκαιος δικαιωθήτω ἔτι, *qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc*. Quomodo *juſtificatio* nihil differt à *renovatione*, nec nunquam apud antiquos Patres vocem ita uſurpatam invenias.

4. Verùm ubi ſcriptores Canonici V. &. N. T. *de juſtificatione hominis peccatoris coram Deo* agunt, non niſi *ſignificatione forenſi* illud vocabulum accipiunt, ad eum videlicet modum, quo in judicio & foro externo hominum accipitur. Nempe cum duo inter ſe litigant, judex causâ eorum cognitâ fert ſententiam, *abſolvendo inſontem*, & *ſontem condemnando*. Totum hoc judicis decretum interdum verbo *juſtificandi* exprimitur, quatenus utrumque juſtum eſt, & ut *abſolvatur inſons*, & ut *ſons condemnetur*, ſicut accipi videtur, quod dicitur II. Sam. XV, 4. והצדקתיו *& juſtificem eum*. Crebriùs autem eo verbo præcisè denotatur *decretum, quo innocens abſolvitur*, aut qui eſt oppreſſus vel injuriâ affectus, *jus ei ſuum*

red-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

redditur: quomodo in V. T. opponuntur הרשיע & הצדיק *juſtificare* & *condemnare*. Evidens eſt locus *Deut.* XXV, 1. *Si fuerit cauſa inter aliquos, & venerint in judicium, judicent eos; juſtificent juſtum, & condemnent impium.* Eodem modo verba iſta opponuntur & uſurpantur de injuſto hominũ judicio, quod deteſtatur & objurgat Salomõ. Prov. XVII, 15. *Qui juſtificat impium, & condemnat juſtum, uterque abominatio eſt coram Deo.* Confer Eſa. V, 23.

5. Quin autem in N. T. & ubicunque de ſpirituali & internâ hominis coram Deo juſtificatione agitur, verbum *juſtificandi* eadem ſignificatione accipiatur, non dubitari poteſt, cùm ob *evidentisſima Pauli dicta* Rom. III, 24, 28. cap. IV, 5, 7, 8. tum ob *analogiam* fori interni Dei cum externo hominum judicio; niſi quòd hîc ſuo merito abſolvitur ab ipſo crimine, juſtusque pronunciatur, qui innocens eſt cognitus; ibi autem qui peccatorum iræque Dei & æternæ damnationis eſt reus, ob ſatisfactionem Jeſu Chriſti ſaltem à reatu abſolvitur, ne ſcilicet ipſi ob peccata ſit moriendum; & in tantum juſtus pronunciatur, in quantum ipſi juſtitia Chriſti imputatur.

6. Ex quibus haud difficulter intelligitur, *juſtificationem eſſe actum judicialem voluntatis Dei, quo hominem ob peccata ſua æternæ damnationis reum, ex merâ gratiâ, ob meritum tamen Chriſti fide apprehenſum, à reatu abſolvit, & hæredem vitæ æternæ conſtituit.*

7. Nempe (I) non eſt actus unius perſonæ Divinæ, ſed *Dei abſolutè*, prout omnes tres perſonas complectitur: niſi qvòd aliquando Deo Patri vindicatur per appropriationem, præſertim habito reſpectu ad Chriſtum, ut ad cauſam meritoriam, ut Rom. VIII, 33. Cúm aliâs illo ſecluſo reſpectu, æquè Chriſti actus ſit, quà Deus eſt. (II) Eò quòd eſt *actus voluntatis*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

Dei, actus immanens eſt, neque adeò elicitus ac productus, ſed quoad rem ipſa Dei eſſentia, cum determinatione ad objectum in modum actûs concepta: quò inter alia manifeſtò ſatis à *regeneratione* & *converſione* diſtinguitur, utpote quæ *actio Dei tranſiens* eſt, hoc eſt, extra Deum, inque homine verè producta & recepta. (III) *Judicialis actus* dicitur, ob analogiam, quâ Deus ad juſtificationem ſe habet, ſicut judex homo ad innocentis abſolutionem.

8. Cauſa impulſiva interna eſt *gratia Dei*, ſecundum illud Pauli Rom III, 24. *juſtificamur gratis per illius* (Dei) *gratiā*. Itē Tit. III, 5. *ut juſtificati gratiâ ipſius &c.* Repetendum autem, quod ſuprà dixi, intelligi hac voce *gratuitam Dei benevolentiam*, prout operibus noſtris opponitur, & vocatur aliâs *Dei charitas*, φιλανθρωπία, ac reſpectu miſeriæ humani generis *miſericordia*. Sub quibus & aliis vocibus gratiæ Dei adſcribitur noſtri *ſalvatio* Eph. II, 4. II. Tim. I, 9. Tit. II, 4. *regeneratio* I. Petr. I, 3. *Filii miſſio* 1. Joh. IV, 9. *Satisfactio* Rom. V, 8. *Vita æterna* Joh. *III*, 16. At juſtificationis, quod cauſam quidem impulſivam attinet, par eſt ratio.

9. Impulſiva externa eſt *Chriſti ſatisfactio ſive meritum*, prout obedientiam activam & paſſivam complectitur. Unde cum Paulus dixiſſet Rom. *III*, 24. *nos juſtificari gratis per Dei gratiam*, unà ad meritum Chriſti reſpiciens addit, *per redemtionem factam in Jeſu Chriſto, quem propoſuit Deus placamentum in ſanguine ipſius*. Confer Rom. IV, 25. cap. V, 18, 19. II. Cor. V, 21. I. Cor. I, 30. Et quid eſt, quod paſſim aſſeritur, Chriſtum *pro nobis*, aut *pro peccatis noſtris* eſſe mortuum, niſi *ad noſtri juſtificationem?* Vide I. Cor. XV, 3. Gal. I, 4. Eph. V, 2. I. Tim. II, 6. Matth. XX, 28.

10. Neque ἀσύστατα ſunt, nos *ob ſatisfactionem Chriſti*, & tamen *ex merâ gratiâ* juſtificari. Sicut enim Satisfactio infinitæ

nitæ Dei juſtitiæ debebatur; ita viciſſim gratiæ ipſius atque immenſæ miſericordiæ eſt beneficium, cùm quòd meritum alienum pro noſtro acceptat, tùm quòd noſtrâ causâ *proprio Filio non pepercit* Rom. VIII, 32. Sed illum *pro nobis fecit peccatum, ut nos in ipſo efficeremur Dei juſtitia* II. Cor. V, 21.

11. Sed & *fidem* ex parte noſtri certo modo eſſe cauſam juſtificationis, rectè contra Pontificios adſtruimus. Nihil frequentius eſt Apoſtolo, quàm nos juſtificari *fide, ex fide per fidem*, uti liquet ex Rom. III, & IV. Gal. III, 24. Quibus loquendi modis non minùs cauſa denotatur, quàm cum alibi ait Apoſtolus, reconciliatos nos eſſe Deo *per mortem Filii ejus* Rom. V, 10, Quin & cauſalitatem fidei ſubindicat, dicendo: *Credenti in eum, qui juſtificat impium, imputatur fides ſua ad juſtitiam.* Rom. IV, 5.

12. Imputatio eſt actus intellectûs judicantis, *factum aliquod ita ad hunc vel illum pertinere, ut propterea bonis vel malis non immeritò afficiatur:* Cujus fundamentum eſt facientis *intentio*: ſiquidē in tantum aliquid alicui imputatur, ſive bonum, ſive malum ſit, in quantum *propriâ* vel *alterius intentione* ad ipſum pertinet. Quod malum eſt, aut malè factum, imputatur ei ipſi ad pœnam, cujus ſive *directâ* ſive *indirectâ intentione*, vel ut ICti loqvuntur, cujus *dolo* ſive *culpâ* factum eſt: quomodo homicidium ei etiam, cujus manu non eſt commiſſum, imputatur ad pœnam, ſi conſilium dedit, vel arma ſubminiſtravit, vel non impedivit, cùm potuerit & debuerit. Ex oppoſito quod bonum eſt, aut benè factum, ei imputatur ratione emolumenti vel fructûs, cui is qui fecit, prodeſſe voluit; idque vel *ex debito*, vel *ex gratiâ.* Aut enim ſuâ causâ aliquis operatur, & facit, quod mercede dignum eſt; aut causâ & bono alterius. Si *ſuâ causâ*; tum proprium opus ei imputatur ad mercedem *ex debito*: & hoc

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

eſt, quod Paulus l. c. ait: *Ei qui operatur, merces non imputatur ex gratiâ, ſed ex debito.* Si in *bono alterius*; tum opus alienum ex gratiâ ei imputatur, cui qui fecit, prodeſſe voluit, cùm alter nihil quicquam eò contulerit: quomodo credentibus meritum Chriſti ad juſtitiam & ſalutem imputatur.

13. Quomodo autem cunque aliquid alicui imputetur; quatenus refertur ad novum illum effectum, quem vi imputationis ſecum trahit, hujus cauſa impulſiva externa eſt. Hoc enim ipſo malefactum imputatur ad pœnam, quód voluntatem judicis movet ad puniendum; & eò benefactum ſive meritum imputatur ad præmium vel gratuitum fructum, quòd voluntatem ejus, penes quem eſt poteſtas, movet ad dandam mercedem ex debito, vel ad benefaciendum exgratiâ: quæ omnis non niſi cauſæ impulſivæ externæ cauſalitas eſt. Itaque quod ſuprà adduximus ex Paulo, *credenti fidem imputari ad iuſtitiam*; ſic interpretamur, *fidem movere Deum, ut credentem abſolvat à peccatis & juſtum pronunciet*: Ut ita pateat, fidem vix in alio genere cauſam juſtificationis eſſe, quàm in genere cauſæ impulſivæ externæ.

14. Ne verò *fidei* tribuatur, quod ſoli *merito Chriſti* competit, diſtinguendum eſt inter *cauſam principalem* & *minus principalem*: ſiquidem ea diſtinctio non tantùm efficienti & fini, de quibus vulgò tradi ſolet, ſed & impulſivæ externæ quadrat. Sicut nimirum *meritum Chriſti* & *fides* in eo conveniunt, quod utrumque *imputatur ad juſtitiam*, ſive quòd ambo movent Deum, ut credentem abſolvat à peccatis, & ju[illegible]m pronunciet: ita eò maximè differunt, quòd meritum Chriſti imputatur & movet *dignitate propriâ*, atque ex ſe & virtute ſuâ, hoc ipſo, quòd infiniti pretii eſt; Sed fides unicè ex *dignitate & virtute meriti Chriſti*, quod apprehendit. Quo diſcrimine *fides merito Chriſti*, ut cauſæ *principali minus-*

prin-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

principalis ſubordinatur, quam inde noſtri Theologi *inſtrumentalem* appellant. Atque adeò ſenſus dicti Paulini tandem huc redit; *Fidem non ex ſe & virtute ſuâ, ſed dignitate meriti Chriſti, quod apprehendit, imputari ad juſtitiam.*

15. Quò reſpicientes noſtri Theologi exſertè & ſignificanter docent, fidem juſtificare *relativè*. Habet enim fides & eſſe quoddam *abſolutum*, in quantum eſt *actus vitalis & ſupernaturalis*: quandoquidem à facultatibus animi vitali modo procedit, nec tamen viribus corruptæ naturæ, ſed in virtute gratiæ & per operationem Spiritûs S. elicitur: quin & *actus moraliter bonus* & laudabilis eſt, quatenus conformis legi divinæ exigenti, ut Deo ſupra omnia credamus & confidamus: Verùm nihil tale ad noſtri juſtificationem quicquam valet aut cônfert. Unde cum *fidem eſſe cauſam juſtificationis* dicimus, præcidenda eſt omnis ejus tum abſoluta entitas tum propria bonitas, ut quicquid ipſi competit efficaciæ, in *meritum Chriſti*, quod apprehendit, reducatur. Ponamus enim per impoſſibile, à fide abeſſe, quicquid abſolutæ entitatis & bonitatis habet; ſi id tantùm maneat, quòd *apprehendit meritum Chriſti*, hoc uno juſtificationis cauſa erit.

16. Quamobrem fides juſtificans, quà talis, præciſê in eo conſiſtit, *quòd apprehendit meritum Chriſti*, reliquis quæ ad eſſe ipſius abſolutum pertinent, vel ut generalibus, vel ut materialibus præſuppoſitis. Videntur autem ſcriptores Eccleſiaſtici iſtum loquendi modum deſumſiſſe ex ipſa ſcriptura, ubi ii qui in Chriſtum credunt, dicuntur λαβεῖν τὸν χριστὸν, *Chriſtum apprehendiſſe, recepiſſe*, ut Joh. I, 20. Col. II, 6. item λαμβάνοντες τὴν περισσείαν τῆς χάριτος καὶ τῆς δωρεᾶς τῆς δικαιοσύνης Rom. V, 17. Neque enim aliter hæc loca intelligi poſſunt, quàm de Spirituali *apprehenſione per fidem*: imò διὰ

τῆς

τῆς πίστεως, *per fidem*, expreſſè additur Gal. III, 14. Ut *promiſſum illum Spiritum reciperemus* (apprehenderemus) *per fidem:*

17. Non autem fides quomodolibet ſumta apprehendit meritum Chriſti; Certè non fides *habitualis*, ſed *actualis*; neque prout in ſimplici quodam actu, ſed in duobus conſiſtit, quorum unus ad *intellectum*, alter ad *voluntatem* pertinet. Ex parte intellectûs eſt *aſſenſus*; non *generalis* ille, qualis impœnitentium quoque & hypocritarum eſt, dum generatim promiſſionibus Dei, ut divinis veriſque aſſentiuntur, iis ad ſe minimè applicatis; ſed *ſpecialis*, quem vocamus, cum quis meritum Chriſti, & huic innixas Dei ſalutares promiſſiones, de remiſſione peccatorum, ac ſalute potiundâ æternâ, ſibi in individuo applicat, ita ut Deum ob meritum Chriſti ſibi quoque propitium eſſe, & peccata remittere, ac vitam æternam largiri indubitatò ſtatuat.

18. Quomodo promiſſiones Dei ſibi applicuerunt Hiob, Paulus, & alii ſancti viri. *Scio*, inquit Hiob, *quòd redemptor MEUS vivit* cap. XIX, 25. Dū *meus* ait, ad ſe individuo meritū Chriſti applicat. Quando etiam Paulus ſcribit I. Tim. I, 15, 16. *Fidelis eſt ſermo, & omni acceptione dignus, quòd Chriſtus Jeſus venit in mundum, peccatores ſalvos facere:* mox illud ſibi ſpeciatim applicans ſubjicit: *Quorum* (peccatorum) *primus ego ſum. Sed ideò* (ego in individuo) *miſericordiam conſecutus ſum, ut in ME primo oſtenderet Chriſtus* Jeſus *omnem patientiam, ut eſſem exemplar credituris in illum ad vitam æternam.*

19. Huic ſpeciali intellectûs aſſenſui reſpondet in voluntate fiducia. Statim enim atque aliquis, prævia agnitione peccatorum & contritione, meritum Chriſti ad ſe pertinere indubitatò ſtatuit, *confidere* in eo incipit, tanquam ob quod remittantur, aut ſint remiſſa peccata, neque jam ampliùs metuit damnationem, ſed ſpem habet ſalutis æternæ. Quam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

fiduciam, niſi ſolam, cumprimis tamen putamus ſignifica-
ri, cum apud Paulum vocatur *fides in ſanguine Chriſti* Rom.
III, 25. *in eum, qui juſtificat impium* Rom, IV, 5. cùm etiam
opponuntur, quæ aliâs fiduciæ ſunt oppoſita, ut *metus* & ὀλιγο-
πιςία Matth. VIII, 26. τὸ διακρίνεσθαι τῇ ἀπιςίᾳ, *hæſitare diffi-
dentiâ* Rom. IV, 20. Jacob. I, 5, 6. τὸ διςάζειν Matth. XIV, 31.

20. Itaque fides apprehendit meritum Chriſti, non ut
eſt præciſè aſſenſus, neque ut fiducia, ſed ut eſt *aſſenſus fidu-
cialis*, aut *fiducia aſſenſualis*; eò ſcilicet ipſo, quòd quis meri-
tum Chriſti intellectu ſimul ad ſe applicat, & voluntate in
eo recumbit ſive confidit; niſi quòd *aſſenſus* prior *fiduciâ*,
hujusque fundamentum; hæc viciſſim illius complemen-
tum eſt. Neque obſtat, quòd in ſcriptura diſertè & diſtin-
ctè ſæpe unus tantùm actus exprimitur, unique juſtificatio
vel ſimilis effectus Spiritualis tribuitur: propter perpetu-
um enim, quem ad ſe invicem habent, reſpectum nexum-
que, alterum tùm indirectè connotari & ſubintelligi neceſ-
ſum eſt.

21. Ita cum dicitur I. Joh. V, 1. *Quisquis CREDIT, Jeſum
eſſe Chriſtum illum, ex Deo genitus eſt*: Et Joh. XVII, 3. *Hæc eſt vi-
ta æterna, ut COGNOSCANT te ſolum verum Deum, & quem mi-
ſiſti Jeſum Chriſtum*; Utrobiq; per verba *credendi* & *cognoſcen-
di* (quæ pari ſignificatione conjunguntur Joh. V, 69.) di-
ſertè & directè *aſſenſus* denotatur, in quem tamen ibi *regene-
ratio*, hîc *vita æterna* reducitur. Ergo neceſſum eſt *aſſenſus*
ſpecialis intelligatur, ſubintellectâ in modum connotati *fidu-
ciâ*, qui propterea nobis *aſſenſus fiducialis* eſt dictus. Ex ad-
verſo cum Chriſtus has & ſimiles voces ingeminat: *CON-
FIDE fili, remittuntur tibi peccata tua. CONFIDE filia, fides
tua te ſalvam fecit* Matth. IX, 2, 22. *CONFIDITE* (diſcipuli
mei) *ego vici mundum*. Joh. XVI, v. ult. hîc fides diſertè deſcri-
bitur,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

bitur, ut eſt *fiducia*, ſubintellecto in modum connotati *ſpeciali aſſenſu*. Jubet enim in ſe confidere, ut in eo, qui remittat peccata, ſalvum faciat, & mundum vicerit, ut ita noſtra fiat Chriſti victoria per *fiduciam*, quæ alibi apud Johannem *Fides* appellatur. *Hæc*, inquit, *eſt victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra* 1. Joh. V, 4.

22. Proprietas fidei juſtificantis eſt certitudo, tam ex parte *objecti*, ſive ejus quod creditur, quàm *ſubjecti*, ſive ejus qui credit. Illa in aſſenſum fidei derivatur ex objecto, & cumprimis formali, quod eſt divina revelatio, cui falſum ſubeſſe repugnat: hæc ob inevidentiam objecti pendet á voluntate piè affecta, quatenus in virtute gratiæ, & adjuvante Spiritu Sancto, poſito omni erroris metu, intellectum movet, ut promiſſionibus divinis, quantumvis obſcurâ & inevidente Dei revelatione ſubnixis, ſine tamen hæſitatione aſſentiatur, & velut iis, quibus deceptio ſubeſſe non poſſit, tenaciſſimè adhæreat: quæ inde *certitudo* (rectiùs *firmitas*) *adhæſionis* dicitur; Cui in voluntate reſpondet æquè *firma fiducia*. Non quòd fides noſtra nunquam vel dubitationibus mentis, vel metu & diffidentiâ voluntatis ſolicitetur & langueſcat; Sed quia his & aliis carnalibus motibus, hinc inde de ſubito conſurgentibus, juvante Dei gratiâ, quàm maximè poteſt, reſiſtit, promiſſionumque divinarum firmitate ſolatur animum, & in ſpem erigit.

23. Exprimendæ huic fidei certitudini ac firmitati varia in ſcripturâ adhibentur nomina & elogia, veluti πεποίθησις Eph. III, 12. πληροφορία Rom. IV, 21. παῤῥησία Eph. *III*, 12. ὑπόστασις Hebr. II, 1. Præſertim verò πεποίθησις *firmiſſimam animi ad promiſſiones divinas adhæſionem* ſignificat; neque refert, *perſuaſionem mentis cum fiduciâ*, an *fiduciam cum firmâ animi perſuaſione* interpreteris. Ad hujus poſterioris ſenſûs

ana-

analogiam verbum medium πεποιθέναι ἔν τινι idem eſt, quod *cum firmâ animi perſuaſione in aliquô confidere*, ut Phil. II, 24. πέποιθα ἐν κυρίῳ, & cap. *III*, 3. οὐκ ἐν σαρκὶ πεποιθότες. Ad inſtar prioris expoſitionis, paſſivum πεπεῖσθαι, non tam *confidere* eſt, quàm *ſub quadam confiſione animi perſuaſum eſſe.* Quomodo Paulus certitudinem fidei ſuæ adſtruens ait: πέπεισμαι, *firmiſſimè ſum perſuaſus, nihil poſſe nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu.* Rom. *VIII*, 38, 39. Alibi conjungit verba οἶδα καὶ πέπεισμαι. *SCIO,* inquit, *cui crediderim, & firmiter SUM PERSUASUS, eum poſſe depoſitum illud meum in eum diem ſervare* II. Tim. I, 12.

24. Significantiùs *certitudinem fidei* exprimit vox πληροφορία. Sicut πληροφορεῖσθαι in genere eſt, *pleno animi motu ad aliquid agendum ferri vel perſuaderi*: Ita cum de fide uſurpatur, eſt *pleno aſſenſu confidere, & plenâ confidentiâ aſſentiri*, idque cum ſingulari animi præſentiâ & contentione, contra omnes ſive carnales motus ſive alias tentationes. Ita cum Abraham promiſſum acceperat, *ſe fore patrem multarum gentium*: dubitationem & diffidentiam ipſi injicere poterat & ſua & uxoris effœta atque ad generandum planè defecta ætas: ſed, laudante Apoſtolo, *contra ſpem ſub ſpe credidit; non infirmatus fuit fide; non addubitavit incredulitate* (diffidentiâ) *ſed corroboratus fuit fide, dans gloriam Deo.* Quæ omnia mox unâ voce complexus Paulus ſubjicit: καὶ πληροφορηθεὶς, *& plenè* (id eſt, plenâ animi perſuaſione ac fiduciâ) *certioratus eſt, Deum quod promiſerat, poſſe etiam efficere.* Rom. IV, 18, 19, 20, 21. Sed & παῤῥησία credentibus ob certitudinem fidei tribuitur, præſertim quatenus oraturi, cum ſingulari *fiduciâ exauditionis, & ſine metu repulſæ*, ad Deum accedunt, ſicut patet ex I. Joh. IV, 21, 22, & cap. V, 14. Denique fides hoc ipſo, quòd undique certa & firma eſt, laudatur ἐλπιζομένων ὑπόστασις, quatenus *quæ ſpe præſumuntur futura, per eam quaſi præſentia ſubſiſtunt*;

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

ſtunt; & πραγμάτων ἔλεγχος ὀ βλεπομένων, quatenus *quæ oculis non cernuntur, per fidem tamen intellectui ſubjiciuntur demonſtrata atque undique certa.* Hebr. XI, 1.

25. Cum fide juſtificante conjunctum eſt *propoſitum abſtinendi à peccatis, & ſervandi Dei mandata.* Neque enim ſeriò dolet quis de agnitis peccatis, & horum remiſſionem confidenter petit, aut ſibi jam obveniſſe confidit, niſi à peccatis in poſterum abſtinere pervicaciter animum induxerit. Neque tamen fides juſtificat, prout cum tali tamque ſalutari propoſito eſt conjuncta, ſed præcisè quatenus *meritum Chriſti apprehendit*, ceu toties ſuprà ingeminatum.

26. Cæterùm *opera noſtra* non ingredi actum juſtificationis, i. e. non æquè movere Deum ad noſtri juſtificationem, Paulus eò maximè planum facit, quòd per cauſas impulſivas jam dictas ea prorſus excludi paſſim aſſeverat: ſcilicet (I.) per gratiam Dei. *Quod ſi per gratiam*, inquit, *non jam ex operibus; alioquin gratia non eſt gratia.* Rom. XI, 6. Confer Tit. III, 5. (II) per meritum Chriſti. *Si per legem* (per opera legis) *eſt juſtitia, Chriſtus ſine cauſa mortuus eſt.* Gal. III, 21. *Evacuati eſtis à Chriſto, quicunque per legem* (i. e. per opera legis) *juſtificamini, & gratia excidiſtis* Gal. V, 4. (III) per fidem: non quòd ex ſeipſis *fides* & *opera* ſint contraria; ſiquidem in uno ſubjecto ſubſiſtunt; ſed quia quod actum juſtificandi attinet, ſunt principia ac motiva incompoſſibilia. Si enim eò juſtificamur, quòd per *fidem* apprehendimus meritum Chriſti, utique non juſtificamur per *noſtra opera*; alioquin enim non opus eſſet *merito Chriſti fide apprehenſo*, ſi *propriorum operum* tanta eſſet dignitas. Hinc Apoſtolus paſſim juſtificationem fidei, cum excluſione operum, adſcribit, ut Rom. III, 28. cap. IV, 6. Gal. II, 16. Eph. II, 8. Pari ratione apud ipſum opponuntur *credere* & *operari* Rom. IV, 5. *lex* & *promiſſio* (i. e. evangelium) *Si ex lege eſt hæredi-*

reditas, jam non ex promiſſione, Gal. III, 18. Item *juſtitia ex lege* & *juſtitia ex fide* Rom. X, 5, Gal. III, 18.

27. Ratio à priori ſi petatur, ideò propria opera nos non juſtificant, quia & ipſa imperfecta ſunt atque immunda, etiam prout à renatis in virtute gratiæ perficiuntur, neque ad exactam illam obedientiam, quam lex primæva exigebat, & quæ per juſtitiam originalem præſtari poterat, accedunt. *Volenti facere bonum, adhæreſcit malum*, ait & conqueritur Paulus Rom. VII, 21. Neque quædam tantùm opera, ſed *omnes juſtitiæ noſtræ ſunt, ſicut pannus, menſtruatæ*, Eſ. LXIV, 6. Confer Pſalm. CXXX, 3. I. Joh. I, 8. Quamobrem ipſa quoque opera noſtra, qualia & quantacunque ſunt, indigent Chriſto mediatore, ne qui ipſis conjuncti ſunt defectus, quæque adhæreſcunt peccata, imputentur, ſed ut ob meritum Chriſti fide apprehenſum tegantur ac remittantur. Quod ſi autem nos juſtificarent coram Deo, ipſa ab omni injuſtitiæ labe oporteret eſſe intacta.

28. Itaque quod noſtri docent Theologi, *hominem ſola fide juſtificari*, etſi ſub uſu particulæ (*ſola*) ἄγραφον eſt, ſub voculis tamen æquipollentibus apud Paulum diſertè continetur, cum ait, *hominem juſtificari per fidem SINE OPERIBUS LEGIS* Rom. III, 28. *NON EX OPERIBUS LEGIS* Gal. II, 28. Et quanquam particula (*ſola*) vi ſignificationis apta eſt excludere omnia, quæ à fide eſſentialiter ſunt diſtincta, cujuſmodi etiam ſunt *gratia Dei* & *meritum Chriſti*: debet tamen ex Paulo exponi & præcisè ad illa reſtringi, quæ homini præter fidem inſunt, & æquè divinum mandatum habent: neque deſunt exempla. Certè *ſolum hominem eſſe intelligentem* dicimus, non ut Deus & angeli, ſed ut beſtiæ brutæ excludantur, qui æquè cum homine animalia ſunt: quamobrem in ſubjecto aliquid ſubintelligendum eſt, quaſi dica-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

dicatur; *ſolus homo inter animalia eſt intelligens.* Ita cum *hominem ſola fide juſtificari* dicimus; ſubintelligas, *ex actibus, qui homini inſunt, & æquè divinum mandatum habent*; quomodo opera quidem noſtra, non autem *gratia Dei*, ac *meritum Chriſti* excluduntur.

29. Quanquam num Paulus omnia opera noſtra velit excluſa, contra clariſſima ejus verba nobiſcum diſceptant Pontificii. Poſſunt autem opera diſtingui dupliciter: (I) *ratione legis & objecti*, prout nimirum alia ſunt opera *legis ceremonialis*, ut plurima apud Judæos; alia *legis moralis*, quam ad duo præcepta reducit Servator Matth. XXII, 37, 39. [II] *ratione ſubjecti, & principij activi*; prout alia ab irregenitis & infidelibus viribus naturæ, alia à renatis in virtute gratiæ perficiuntur, quorum illa quidem antecedunt fidem, hæc conſeqvuntur.

30. Fuerunt ex veteribus nonnulli, qui exiſtimarent, per verba Pauli præciſè excludi *opera legis ceremonialis*, contra Judæos; nec abs re quidem: confidebant enim Judæi, & profitebantur, juſtos ſe coram Deo eſſe, ſi circumciderentur, diesque feſtos, ſacrificia & cibos, aliaſque ceremonias, quantumvis abſque interiori devotione atque obedientiâ, obſervarent. Contra quos eo nomine coactum fuit concilium Apoſtolorum Hieroſolymis Act. XV. Neque niſi contra illos diſputat Apoſtolus Rom. III. Cùm inter alia *circumciſionem & præputium* (i. e. Judæos & gentes) *ex fide juſtificari* ait, ne quid circumciſioni, cujus magna apud Judæos erat prærogativa, tribueretur. Idque confirmat exemplo Abrahami, cui ait *imputatam fuiſſe fidem ad juſtitiam, non in circumciſione, ſed in præputio* Rom. IV, 9, 10. Alibi taxat eos, qui quaſi ex ceremoniis Moſaicis ſimul & fide juſtificarentur, *dies obſervabant & menſes & tempora & annos.* Gal.

III, 10,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

III, 10. item qui alios *damnabant ob cibum & potum, aut reſpectu diei feſti, aut neomeniæ, aut Sabbathorum* Col. II, 16, 20. Interim dum ita contra juſtitiam operum ceremonialium diſſerit Apoſtolus, universè pronunciat, *hominem fide juſtificari, ſine operibus Legis*, puta etiam ſine illis, quæ lex moralis præcipit, quò rectiùs enervet excludatque juſtitiam operum ceremonialium, quorum minor eſt dignitas. Poteſt autem univerſalis illa omnium legis operum excluſio multis ex contextu rationibus ſtabiliri, quas videre eſt apud B. Chemnitium loc. Theol. part. II. de juſtificatione.

31. Etſi verò Pontificii particulas excluſivas apud Paulum latiùs accipiunt, quàm de Ceremoniis Moſaicis, ampliantque ad opera quoque legis moralis: diſtinguunt tamen ratione ſubjecti inter opera irregenitorum, ſive quæ fidem antecedunt; & renatorum, ſive quæ fidem conſequuntur. Illa omnia ab actu juſtificationis apud Apoſtolum excludi, utraque manu largiuntur, ſive in Ceremoniis conſiſtant, ſive in obſervatione quadam legis moralis: hæc verò, præſertim quà legi morali congruunt, neque excluſa eſſe, neque excludi oportere, quòd ex fide procedant, atque in virtute gratiæ per meritum Chriſti partæ perficiantur. At dudum converſus ad fidem, & rarâ obedientiâ erga DEUM, multiſque operibus clarus erat Abrahamus, cùm de ipſo ſcriptum eſt Gen. XV, 6. *Credidit Abraham Deo, & imputatum eſt illi ad Juſtitiam.* Quod non aliter accipit Apoſtolus, neque aliter accipi poteſt, quàm Abrahamum non *ex operibus*, ne ex illis quidem, quæ jam inde à primâ ſui vocatione converſioneque, quantumvis ſatis præclara fecerat, ſed *ex fide* juſtificatum eſſe. Laudat ipſe quoque Apoſtolus Abrahami opera, quòd aliqua eorum ſaltem apud homines, ſit gloria, cùm ait: *Si Abraham ex operibus juſtificatus eſt,*

habet

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

habet gloriam, ſed non apud DEUM. Certè non gloriam aliquam tribuit operibus Abrahami ante ipſius converſionem, cum in infidelitate & idololatriâ hæreret; ſed iis præcipuè, quæ poſt ſui converſionem in virtute gratiæ, & *per fidem* perfecit, cujuſmodi in ipſo laudantur Hebr. XI, 8. Attamen ex his quoque operibus Abrahamum *non habuiſſe gloriam apud* DEUM, diſertè docet. Similiter cùm Galatas à fiducia operum ad fidem in Chriſtum abducit, utique opera converſorum & ex fide profecta intelligit, hoc ipſo, quòd ad Galatas ſcribit, qui jam erant converſi, & credebant. Præterea cùm *fidei* adſcribit juſtificationem, excluſis operibus legis; ſicut *fidem* & *opera* tum immediatè opponit, ita *opera renatorum* ſub alterutro comprehendat neceſſum eſt: at nuſquam in ſcriptura nomine *fidei* comprehenduntur ulla *opera*, ne illa quidem, quæ ſunt renatorum; neque enim eò deſinunt eſſe *opera legis*, quòd per *fidem*, & in virtute gratiæ perficiuntur. Ergo ſub *operibus legis* ea contineri, & conſequenter æquè, ac irregenitorum opera, ab actu juſtificationis excludi, indubitatò colligimus.

32. Quid autem de juſtificatione ſentiant Pontificii, & in quantum ac quouſque eam operibus adſcribant, carptim ac breviter lubet perſtringere. Primùm præſupponunt, *juſtificationem eſſe realem mutationem facultatum animi, qua ex injuſto fiat juſtus, per infuſionem juſtitiæ*; cumque infuſæ juſtitiæ ſint gradus ſecundum intenſionem & remiſſionem, eam dividunt in *juſtificationem primam*, quâ juſtitia in gradu remiſſiori infunditur; & *ſecundam*, quâ juſtitiæ argumentum datur. Deinde opera quoque diſtinguunt ratione temporis in ea, quæ juſtificationem primam antecedunt, & quæ conſequuntur. Illorum appellatione intelligunt actus internos, qui in ipſa primâ juſtificatione cum fide conjun-

junċti ſunt, veluti *timor*, *ſpes*, *contritio*, *caritas*. Horum ambitu comprehendunt ſimul opera externa, quæ ſucceſſu temporis demum, quoties benè agendi materia, locus, aut quæcunque ſe dat opportunitas, perficiuntur, veluti quæ laudat Servator Matth. XXV, 35, 36. *cibare eſurientes*, *potare ſitientes*, *veſtire nudos*, *inviſere ægrotos*, *ire ad captivos*. Quibus ita prælibatis, de antecedentibus actibus internis non quidem ſtatuunt, quòd promereantur juſtificationem primam, ſed tamen quòd tantundem ad eam quantum fides, valeant; at de operibus externis, & pro re natâ conſequentibus, non dubitant aſſerere, ea juſtificationem ſaltem ſecundam ex condigno promereri.

33 Sicut verò una ex parte confundunt *juſtificationem* cum *renovatione*, dum eam abſurdè per *realem mutationem* atque infuſionem juſtitiæ deſcribunt; cùm ex ſcriptura ſuprà ſit oſtenſum, in juſtificatione peccatoris coram Deo, vocabulum *ſenſu forenſi* eſſe capiendum, dicendumque, hominem in tantum juſtificari, in quantum *ob meritum Chriſti fide apprehenſum abſolvitur à peccatis*, & *juſtus pronunciatur*; quomodo juſtificatio non habet gradus ſecundum intenſionem & remiſſionem, neque adeò poteſt dividi in *primam* & *ſecundam*, ſed quanta quanta eſt, per fidem in eo inſtanti, in quo fides jam adeſt, perficitur: Ita ex parte alterâ minùs rectè antecedentibus actibus internis, in ordine ad juſtificationem primam, eandem vim & cauſalitatem, quam fidei; adhuc abſurdiùs operibus externis & conſequentibus vim meritoriam juſtificationis ſecundæ ex condigno adſcribunt.

34. Primùm enim inter fidem & conjunctos ei alios actus internos eſt diſſimilima ratio, dum fides quidem non virtute propriâ juſtificat, ſed prout *apprehendit meritum Chriſti*, &

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

ſti, & huic vel illi in individuo applicat: at qui cum illa conjuncti ſunt actus *timoris, ſpei, contritionis* & *caritatis*, tantum abeſt, ut æquè *apprehendant meritum Chriſti*, ut directè in planè aliud objectum ferantur. Deinde *nulla noſtra opera*, ne externa quidem illa, quæ juſtificationem primam conſequuntur, qualia, quot & quantacunq; ſunt, coram Deo *meritoria ex condigno* ſunt, quia ob adjunctos defectus, & adhæreſcentia peccata hautquaquam Dei juſtitiam & voluntatem explent; tum quia quà bona ſunt, defectibus & peccatis præciſis, non noſtra, ſed Dei opera ſunt, *operantis in nobis velle & perficere* Phil. II, 13. prætereà quia Deo aliàs debita, Luc. XVII, 10. Neque eorum *ad futuram gloriam eſt dignitas* (& proportio) Rom. VIII, 18.

35. Quòd autem dicunt nonnulli, *opera noſtra habere vim meritoriam à merito Chriſti*; id quomodo intelligendum ſit, non apparet. Certè non inde habent vim juſtificandi, ad eum modum, quo fides; quod ipſi agnoſcunt: neque enim apprehendunt meritum Chriſti, ſicut fides; neque ſi apprehenderent, ob id meritoria eſſent, cùm nec fides noſtra eam ob rem ſit meritoria, ſed merito Chriſti, tanquam cauſæ principali minùs principalis ſubordinetur. Quamobrem nec à fide poſſunt accipere illam vim, quam ipſa aliunde emendicat: niſi quòd quatenus ex fide procedunt, placent Deo, & quæ conjunctæ ſunt ἀταξίαι, non imputantur. Quod autem Becanus ait l. c. cap. IV. qu. III. *Non ſolùm obtinuit nobis* (Chriſtus) *jus vitæ æternæ, ſed etiam vim & virtutem acquirendi vitam æternam per propria merita*; id omni fundamento caret. Gratiam quidem Chriſtus non tantùm promeruit, ſed etiam per verbum phyſico influxu confert, cujus in virtute perficimus bona opera, & absque quâ ſi eſſet, perficere non poſſemus: qua

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

de cauſâ Chriſtus ſe *viti*, nos *palmitibus* comparat, ut qui *non poſſimus ferre fructum, niſi in ipſo, ſicut palmites in vite, manſerimus* Joh. XV, 4. Verùm ut opera noſtra ſint *meritoria ex condigno*, ſicut ſuæ pro nobis ſatisfactionis opus; nec hujusmodi vim neque promeruit ſervator, neque per influxum gratiæ operibus noſtris confert: præſertim cum in ſe ipſis maneant imperfecta, ac quantumcunque habent boni & perfecti, non noſtrûm ſed DEI ſit, Deoque debitum, nec futurâ gloriâ condignum, ut modò meminimus. Quanquam ex noſtrâ quidem ſententiâ de operibus externis, an *juſtificationem ſecundam promereantur ex condigno*, non rectè quæritur; quia nos non habemus aliam quàm unam illam juſtificationem, quæ per fidem in eo momento, in quo adeſt fides, perficitur; quam opera illa externa, concedentibus Pontificiis, ſucceſsu temporis demum ſequuntur.

36. Fides tamen, inquies, non juſtificat, quæ eſt *mortua*, ſed quæ eſt *viva*. At dicitur *viva fides, quæ per caritatem* (& per bona opera) *efficax eſt* Gal. V, 6. Jacob. II, 17, 20. Ad quod parata eſt reſponſio, fidem dici *vivam* dupliciter: (I) *in actu primo*, quatenus inclinat hominem ad exercendam caritatem, & agenda bona opera, ſecundum legem Dei; licet in hoc momento, ob defectum temporis & occaſionis, per nullum opus ſeſe exſerat. Et hoc modo indubiè fides juſtificans *viva* eſt, eo ipſo etiam momento, quo juſtificat, quoniam cum propoſito ac ſtudio bonorum operum eſt conjuncta: quanquam non *quà viva* eſt, juſtificat. (*II*) *in actu ſecundo*, puta cum fides per opera caritatis, ex præſcripto legis Dei, ſeſe jam exſerit, & operatur. Quem quidem in modum fides in eo inſtanti, quo juſtificat, comparata non eſt, ſed poſt juſtificationem demùm, cum nec tempore nec

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

occaſione benè agendi deſtituitur, per opera caritatis ſe profert & oſtentat. Quamobrem Auguſtinus Paulum dicentem, *hominem fide juſtificari ſine operibus*, ſic interpretatur: *Non hoc agit Apoſtolus, ut præcepta ac profeſſa fide opera juſtitiæ contemnantur, ſed ut ſciat ſe quisque per fidem poſſe juſtificari, etiamſi legis opera non præceſſerint. Sequuntur enim juſtificatum, non præcedunt juſtificandum.* libr. de fid. & oper. cap. XIV.

37. Et hæc hactenus de juſtificationis cauſis impulſivis. Formalem ejus rationem quam dicant eſſe Pontificii, jam notum eſt ex th. 33. Præſupponunt ſcilicet, juſtificationem ad peccatorem juſtificandum habere ſe, ſicut *actio Dei tranſiens* ſe habet ad *ſubjectum*, in quod tranſit, & quod per eam intrinſecè immutatur; & proinde formalem ejus rationem in hoc ſitam arbitrantur, quòd per illam *ex homine reverâ expellatur ipſum peccatum mortale, quoad maculam, injuriam & offenſam* (prout hæc tria ipſi quidem diſtinguunt) & *juſtitia non qualislibet, ſed ea infundatur, quâ homo ita juſtus ſit coram* Deo, *ut vi infuſæ hujus juſtitiæ & ex operum inde profectorum meritis ſit hæres vitæ æternæ*; qua de re vide Becan. loc. cit. cap. III. qu. V. Verùm cùm ex noſtrâ ſententiâ, eaque manifeſtiſſimis ſcripturæ locis innixâ, juſtificatio hominis peccatoris coram Deo, ſignificatione forenſi accipiatur, ſitque adeò judiciarium quoddam Dei decretum, & ſic *actus immanens* voluntatis ejus; utique ad hominem juſtificandum, ſicut quilibet actus vitalis ad objectum ſuum, prorſus *extrinſecè* terminatur, adeò quidem, ut ex præciſâ ratione juſtificationis nulla in homine fiat mutatio; licet conjuncta ſit cum tali aliquâ actione, per quam hominis cor intrinſecè immutetur; qualis non modò eſt *regeneratio*, quæ ordine naturæ juſtificationem ante-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

recedit, ſed & quæ eam concomitatur, *renovatio*, quam idcirco Pontificii cum juſtificatione confundunt.

38. Sicut interim regenerationis & renovationis tota formalis ratio tribus continetur, *termino à quo*, *termino ad quem*, & *actione*, quæ inter utrumque terminum interjacet: ita eadem tria juſtificationi aptari poſſunt, ſed per analogiam impropriam, & ratione oppidò diverſa. Ibi enim cum *actio tranſiens* intelligatur, reſpectu *ſubjecti*; terminus *à quo* dicitur, quod ex ſubjecto expellitur; & *ad quem*, quod viciſſim introducitur. Hìc verò cum juſtificatio concipiatur, ut *actus immanens* voluntatis Dei, reſpectu hominis, velut *objecti*; terminus *à quo* id vocatur, quod cum inſit homini, non imputatur; & *ad quem*, quod cùm non inſit, imputatur tamen, quaſi ineſſet. Itaque hoc intereſt, quòd ibi alter terminorum expellitur, alter introducitur; hìc non imputatur alter, alter contrà imputatur.

39. Eſt autem terminus *à quo juſtificationis peccatum*, tam originale quàm actuale, ſed relativè conſideratum, reſpectu ſcilicet pœnæ, quam promeruit; quod peccati meritum vulgò *reatum* appellamus. Et proinde ex parte hujus termini juſtificatio formaliter in eo conſiſtit, quòd *peccatum, cum mortem & damnationem æternam promeruerit, non tamen imputatur homini ad pœnam, quam promeruit.* Quod nihil aliud eſt, quam hominem *impunitate donari*, ſive ut in definitione ſuprà rem expreſſimus, *à reatu peccatorum abſolvi.* Synonyma autem ſunt, *peccata remitti, tegi, non imputari:* prout conjunguntur in illo Davidis Pſalm. XXXII, 1, 2. *Beati, quorum* REMISSÆ SUNT *iniquitates, & quorum* TECTA SUNT *peccata. Beatus vir, cui* NON IMPUTAT *Dominus peccatum.* Exponit hunc locum Apoſtolus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

de juſtificatione hominis coram Deo, ubi expreſsè ſcribit, *Davidem declarare beatum eum hominem, cui Deus imputat juſtitiam absque operibus.* Rom. IV, 6.

40. Terminus *ad quem* eſt Chriſti meritum, prout obedientiam ipſius activam & paſſivam complectitur. Neq; obſtat, quòd idem Chriſti meritum eſt *cauſa impulſiva*, & quidem *principalis ſive meritoria*: quia enim juſtificatio eſt actus immanens voluntatis DEI, coincidunt hîc *cauſa meritoria & terminus ad quem*, niſi quòd diverſa ſubeſt ratio: quandoquidem eatenus Chriſti meritum eſt *cauſa impulſiva & meritoria*, quatenus *movet Deum, ut nos juſtos pronunciet*; ſed terminus *ad quem* eſt ſub ratione & conceptu *noſtra juſtitiæ*, puta quatenus imputatur nobis ad juſtitiam, nosque inde juſti coram Deo pronunciamur. Neque repugnat, idem movere Deum, ut juſtos nos pronunciet, & ſimul eſſe juſtitiam noſtram; imò quia eſt juſtitia noſtra, ideò movet Deum, ut inde juſtos pronunciet, ſive ad juſtitiam nobis id imputet. Neque turbare quem debet, quòd apud Paulum Rom. IV. *fides imputari ad juſtitiam* dicitur, cum tamen fides non ſit juſtitia noſtra: neque enim *fides* abſolutè & ſecundum ſe intelligitur, ſed *quatenus apprehendit meritum Chriſti*; aut quod idem eſt, *meritum Chriſti fide apprehenſum*; niſi quòd in modo ſignificandi hæc locutio ab illâ diſcrepat.

41. Sicut *juſtitia* habet reſpectum ad *legem*, juſtusque quisq; eo ipſo eſt, quòd ex lege agit: ita præcipuus quidem & abſolutè neceſſarius juſtitiæ actus eſt, *legem adimplere*: ſi quando autem eam ſis transgreſſus, juſtitiæ quoque eſt, quoad ejus poſſis, *ſatisfacere*. Cum itaque primus homo *ſecundum Deum ſit conditus in juſtitia* Eph. IV, 24 manſiſſet juſtus per juſtitiam concreatam & ſibi inhærentem, ſi legem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

Dei immobilis animi perpetuo tenore ſervâſſet: at poſtquam per inobedientiam voluntariam quoque poſteros legis transgreſſione reatuq; involvit, jam non tantùm tenemur ad legẽ Dei adimplendam, ſed & ad præſtandam pro ejus transgreſſione debitam ſatisfactionem, prout infinita Dei juſtitia flagitat. Nunc cùm poſt lapſum neuter Juſtitiæ actus in noſtrâ ſit poteſtate, ne quidem ſi renati & converſi ſimus: Chriſtus utrumque in ſe ſuſcepit; tamque legem Dei noſtrâ causâ adimplevit, quæ obedientia ipſius *activa* eſt; quàm peccata noſtra in cruce expiavit, quæ obedientia ipſius *paſſiva* eſt, prout laudatur & deſcribitur Phil. II, 8. Unde meritum hoc non eſt juſtitia quædam *reſpectu ipſius Chriſti*, puta quâ ipſe coram DEO ſit juſtus: ſiquidem juſtus erat ab utero, antequam ſubjiceretur legi, & pateretur; ſed ſicut quicquid ejus eſt, noſtrâ causâ fecit aut ſuſtinuit, ita unicè *reſpectu noſtri*, i. e. nobis, ſive noſtra juſtitia, & hujuſmodi quidem eſt, quâ ſtare coram DEO, æternam damnationem effugere, & hæreditatem vitæ æternæ conſequi poſſimus. Quo ſenſu ait Apoſtolus I. Cor. I, 30. *Chriſtum* [vi meriti ſui] *factum eſſe NOBIS à DEO juſtitiam.* Quemadmodum ex oppoſito Chriſtum dicit *pro nobis factum eſſe peccatum* II. Cor. V, 22.

42. Proinde ex parte termini *ad quem* juſtificatio formaliter in eo conſiſtit, quòd *nobis omne Chriſti meritum omnisque ejus obedientia imputatur ad juſtitiam*, puta ut ab obedientia ipſius *activâ* juſti pronunciemur, tanquam ipſimet legẽ Dei implevisſemus; à *paſſiva*, tanquam ipſimet pro peccatis noſtris ſatisfeciſſemus. Quò reſpiciens Apoſtolus l. c. ſcribit: *Deus eum* (Chriſtum) *qui non noverat peccatum, pro nobis fecit peccatum, ut* (ipſo noſtrum peccatum luente) *nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo*, i. e. juſti coram Deo pronunciaremur, quaſi ipſimet peccata noſtra luiſſemus. Non verò, ſicut *peccatum noſtrum* & *meritum Chriſti* ſibi invicem opponuntur, tanquam terminus *à quo* & *ad quem*, ita etiam diverſi actus ex parte Dei ſunt, quorum uno non imputatur nobis peccatum, altero imputatur meritum Chriſti: ſed quemadmodum una eademque actione nuditas tegitur, & veſtis induitur; ſic etiam *unus idemque actus voluntatis Dei eſt non imputatio peccati, & imputatio meriti Chriſti*: niſi quòd noſtro concipiendi modo prius eſt, imputari meritum Chriſti, quàm peccatum non imputari, ſive remitti & tegi. Ideò enim nobis non imputantur peccata, ideo teguntur & remiſ-

remittuntur, quia imputatur omne illud Chriſti meritum, quo pecca-
ta noſtra in cruce expiavit. Unde in ſcriptura juſtificatio aliquando per *non-imputationem, tectionem, remiſſionemve peccati*, ut Pſ. XXXII, 1, 2. aliquando per *imputationem juſtitiæ* (ſc. Chriſti) deſcribitur, ut Rom. IV. ubi prior illa Davidis deſcriptio per poſteriorem declaratur.

43. Juſtificationē concomitatur alia Spir. S. actio, quæ aliquando *ſanctificatio* dicitur, ut Rom. VI, 22. Apoc. XXII, 11. uſitatiùs autem ἀνακαίνωσις ſive *renovatio*, quòd per eam *deponitur vetus homo, & novus induitur*, uti exponit Apoſtolus Eph. IV. Vocat autem VETEREM HOMINEM, *qui ſeductricibus cupiditatibus ſe corrumpit* v. 22. NOVUM, *qui ſecundum Deum conditus eſt ad juſtitiam & ſanctimoniam veram.* v. 24. Ex quibus deſcriptionibus liquet, *veterem* & *novum* hominem non differre ſubſtantiâ, ſed qualitate & operatione, ad eum ferè modum, quo in ſcripturâ *caro* & *Spiritus* opponuntur: quandoquidem *vetus homo* eſt, qui non ſecundum Spiritum, ſed ex carne vivit: eoque ψυχικὸς appellatur 1. Cor. II, 14. item πνεῦμα μὴ ἔχων Jud. v. . 19. Contrà *novus homo* eſt, qui non ex carne, ſed ſecundum Spiritum vivit: quo ſenſu dicitur *nova creatura* II. Cor. V, 27. Gal. IV, 15. item *opus DEI conditum in Chriſto IESU ad bona opera* Eph. II, 10. *Cor novum & mundum*. Pſ. LI, 12.

44. Tribus autem præcipuè cenſetur vetus homo, ſi adæquatè quidem ſumatur, ἀδυναμίᾳ *actuum ſpiritualium*, *reatu damnationis & peccati in ſe regnantis dominio*: puta (I) quòd vi peccati originis, antequam regeneratur & ad fidem convertitur, caret omnibus viribus ſpiritualibus, ad credendum in Chriſtum, & ſanctè vivendum: (II) quòd ob peccatum originis pariter ac peccata actualia iræ Dei æternæque damnationi eſt obnoxius; (III) quòd peccatum habituale dominari in ſe patitur, cum originale, tum ſi quod aliud vitium pravâ conſuetudine contraxit. Contrà *novus homo*, ſi adæquatè accipiatur, tria illa excludit, & quæ his opponuntur, ſibi vendicat: puta (I) quòd *auctus eſt novis viribus*, ad credendum in Chriſtum; (II) quòd *abſolutus eſt à reatu damnationis*, impetratâ per & propter Chriſtum remiſſione peccatorum; (III) quòd *expugnato peccati dominio*, *vivit ex ſpiritu*, & deſideria carnis comprimit.

45. Nunc cum *per renovationem ex veteri homine fieri novus* dicitur,

citur,

citur, poteſt hoc intelligi dupliciter: (I) *adæquatè*, prout vetus homo, ſecundum omnes jam dictas partes, exuitur, novuſque in ſolidum induitur, pro menſura tamen gratiæ & operationis Spiritûs Sancti. Quomodo renovatio non eſt una ſimplex actio, ſed plures ac tres præcipuè includit, quarum unâ fides accenditur, quæ ſupra dicta eſt *regeneratio* & *converſio*; alterâ peccata remittuntur, quæ aliàs *juſtificatio* dicitur, & modò explicata eſt; poſtremâ mortificatur caro, & ſub obſequium Spiritûs captivatur, quæ aliàs ſtrictè & præcisè *renovatio* dici amat. Ita quod per has omnes actiones demum obtinetur, quaſi ab unâ eſſet, accipit, & loquitur Paulus II. Cor. V, 17, 18. ubi *nova eſſe facta omnia* ait, idque *ex Deo, qui reconciliarit nos ſibi per JEſum CHriſtum*: quandoquidem reconciliatio fidem & remiſſionem peccatorum includit: quo ſenſu Apoſtolus ibidem *NOVAM CREATURAM* vocat eum, qui & quatenus *eſt in CHRISTO IESU*, id eſt, quatenus reconciliatus eſt Deo per fidem in Chriſtum JEſum, nec ampliùs cupiditatibus carnis obſequitur. (II) *Inadæquatè* renovatio accipitur, prout per eam *vetus homo* in tantum expellitur, in quantum peccato eripitur dominium, & caro ſub obſequium Spiritûs mancipatur, præſuppoſitâ jam fide, & peccatorum remiſſione. Quæ acceptio eſt hujus loci, & renovationem à *regeneratione* & *juſtificatione* diſtinguit, funidaturque in locis Eph. IV, 23. Col. III, 8.

46. Hoc modo ſubjectum renovationis eſt homo *renatus jam & juſtificatus*. Renovatur autem ſecundum omnes animi facultates, & quidem ex parte intellectûs, *in agnitionem congruentem imagini ejus, qui ipſum condidit* Col. III, 10. ex parte voluntatis, *ad juſtitiam & ſanctitatem veritatis* Eph. IV, 24. ex parte appetitûs, *ne cupiditatibus carnis obſequatur* Rom. VI, 12.

47. Cauſa efficiens principalis eſt *Spiritus Sanctus*, quatenus per fidem in cordibus noſtris, velut in templo quodam ſuo habitat, I. Cor. III, 16. Cap. VI, 19. Rom. VIII, 9, 11. II. Tim. I, 14. Qui *operatur in nobis velle & perficere* Phil. II, 13. *agit nos* Rom. VIII, 14. *auxiliatur infirmitatibus noſtris*, v. 26 quodque *cœpit in nobis bonum opus, perficit etiam uſque ad diem IEſu CHriſti* Phil. I, 6.

48. Sed & ex parte hominis Chriſtianæ virtutes, quatenus non naturâ, ſed gratiâ conſtant, principia renovationis ſunt. Fundamentum & baſis earum eſt *fides*, cujus nexu *Spes, timor, caritas*, & ſi

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

quæ aliæ ſunt, continentur. Unde quæ ab his opera procedunt, harumque unius propria ſunt, illa quoque omnia à fide procedunt, ſed *mediatè*. Nempe proximè fides habitualis ſeſe exerit per *aſſenſum* & *fiduciam*, ſive quod eodem recidit, per *aſſenſum fiducialẽ*, quo meritum Chriſti, ac promiſſiones ei innixas cum ipſis beneficiis apprehendit: at medio aſſenſu & fiduciâ, movet & inclinat voluntatem, ad opera caritatis, ſpei & timoris. Quomodo intelligimus illud Pauli Gal. V, 6. *fidem per caritatem operari*.

49. Sicut autem fides *in eſſe* & *fieri* à Spiritu Sancto dependet: ita quoque ipſi *in operando* perpetuò ſubordinatur, neque aliter ſe habet, quàm ut *operum adminiſtra* Jacob. II, 22. quanquam in actu cauſandi non unum diſcrimen deprehenditur. Primùm enim fides, ut modò dictum, movet voluntatem ad opera caritatis *mediatè*, medio ſcilicet aſſenſu fiduciali: at Spiritus S. homini renato, perque fidem incitato & incenſo, ad omnia opera *proximè & immediatè* cooperatur. Deinde fides ferè movet in modum *cauſæ impulſivæ internæ*; dum quatenus intellectui ineſt, voluntati motiva caritatis & timoris repræſentat, veluti quòd DEUS pœnitentibus ſit miſericors, quòd refractariis vindex ſcelerum; dum etiam quatenus ineſt in voluntate, propoſitum & ſtudium bonorum operum provocat, & ſecum trahit: quomodo ſæpe unus actus, qui præcedit, ſive intellectûs ſive voluntatis, movet voluntatem ad alterum, eoque alterius principium eſt. At Spiritus S. movet ut *externum principium*, per immediatum in opera caritatis influxum, quo ipſam iis ſubſtantiam impertit. Qua de causâ *fructus Spiritûs* dicuntur Gal. V, 22.

50. Habet autem *renovatio* gradus ſecundum intenſionem & remiſſionem, eoque diſtinctionem, quam *juſtificationi* falsò aptant Pontificii, illa ſibi jure vendicat, ſcilicet ut in *primam* & *ſecundam* ſecetur. Inchoatur autem in ipſa regeneratione aliquo modo, & eatenus *prima* dici poteſt, eſtque idem utriuſque terminus *ad quem*, ſive effectus, ſed ſub aliâ atque aliâ ratione. Nempe (I) per *regenerationem* in intellectu ſimul & voluntate accenditur *fides*, ſed eâ ratione, quâ apprehendit meritum Chriſti, & juſtificat; quomodo in indiviſibili conſiſtit: per *renovationem* eadem fides dirigitur ad opera caritatis, & eatenus incrementa capit, quatenus promptiùs *per caritatem operatur*. Gal. V, 6. (II) Per *regenerationem* in appetitu quoque inchoatur aliqua *gratia*, ſaltem quâ ipſe in tantum reprimitur, ut ne generationem fi-

dei

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

dei in intellectu & voluntate impediat: at per *renovationem*, accenſâ quam fide, ea gratia intenditur, & ad crucifigendum cupiditates carnis, concupiſcendumque ea quæ ſunt Spiritûs, magis magiſque incitatur.

51. Quamobrem ſicut una eſt actio, quâ res creatur & conſervatur, niſi quòd tunc creationis nomen amittit, cùm res creata eſt, & dehinc dicitur conſervatio: ita quoque renovatio nihil aliud eſſe videtur, quam continuatio ejus actionis Spiritûs S. quâ homo ad fidem regeneratur, ſed deſinit eſſe formaliter regeneratio, cùm fides per eã ingenerata eſt, & poſthac renovatio appellatur, continuaturque per totam hominis renati vitam, quoad is per peccata mortalia gratiam Spiritûs S. & fidem non excuſſerit. Quo ſenſu ſcribit Paulus II. Cor. IV, 16. *Etiamſi externus homo noſter corrumpitur, internus tamen renovatur INDIES.* Et pro Coloſſenſibus indeſinenter ſe orare ait, ut *CRESCANT in agnitione DEI, eaque impleantur* Col. I, 9. 10. Confer Eph. III, 19. Cap. IV, 13.

52. Ex quibus jam liquet, renovationem formaliter non eſſe *unum* ſimplicem actum, ſed *plures*, nec tamen ſimul & in inſtanti peractos, ſed ſucceſſu temporis, & quoties agendi ſe offert occaſio, continuatos. Quandoquidem per renovationem acquiruntur & creſcunt habituales virtutes novi hominis, ſcilicet *fides, ſpes, caritas*, quas ſcriprura ſæpè uno nomine *ſanctitatem* appellat. Sicut verò in naturalibus non unus actus, ſed plures habitum producunt: ita nec in actibus ſpiritualibus, & qui ex fide procedunt, res aliter ſe habet. Quò igitur plures actus *fidei*, *ſpei* & *caritatis* renati in virtute gratiæ & auxilio Spiritûs S. perficiunt, eò magis per eos renovantur, i. e. eò plus in habituali ſanctitate, ſecundum omnes modò dictas virtutes, proficiunt. Quamobrem renovatio formaliter nihil aliud eſt, quàm *actuum ſpiritualium & legi Dei conformium, ubi & quando convenit, continuatio*: aut quod eodem recidit, conſiſtit in ipſis actibus ſpiritualibus & legi Dei conformibus, quatenus progreſſu temporis continuantur, & quoties opus eſt, iterantur. Id quod ſatis apertè docet Paulus Eph. IV. ubi Epheſeos, ut *renoventur*, ad actus Spirituales & legi Dei conformes prolixè adhortatur, à v. 22. ad finem. Sed & Petrus jubet, actum actui diverſæ virtutis addere, ut *non inertes nec infructuoſi ſimus in Domini noſtri IESU Chriſti agnitione*. II. Petr. I. à v. 5. ad 8.

Neque

53. Neque ex his obſcurum eſt, effectum renovationis (ſ. terminum *ad quem*) proximè eſſe habituale quoddam donum, ſcilicet *habitualem ſanctitatem*, prout *fidem*, *ſpem*, & *caritatem* complectitur. Quanquam quia ſanctitas eſt propter *ſancta opera*, hæc quoque renovationis effecta ſunt, ſed *remotè*. Unde cum Paulus *deponere veterem hominem, & novum induere* jubet: nihil refert, utrum *novus homo* in actu primo ab *habituali ſanctitate*, an in actu ſecundo ab *operibus* inde profectis denominetur: niſi quòd homo eo etiam tempore, quo non agit opera, manet *renovatus*, ſive *novus*, ſaltem ob permanentem in ſe habitualem caritatem. Ne quem verò turbet homonymia, notamus, alios actus *antecedere* habitualem ſanctitatem, alios *conſequi*: illi imperfectiores ſunt, quatenus ex habitu non procedunt, ſed tamen vi continuationis renovant hominem, & habitum in ipſo producunt, ut theſ. præced. dictum: hi perfectiores, quia habituales; utque ſanctitatis, ſic, illâ mediâ, renovationis effectus.

54. De mediis, non eſt, quod multùm commentemur. Sicut per VERBUM Spiritus S. fidem in adultis generat: ita per idem ſubinde agitatum animo repetitumque alit & conſervat, inque opera magis magiſque progerminare facit. Hinc quod dicitur I. Joh. III, 9. *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet*; ſic interpretamur; Semen abſtinendi à peccato, & benè juſtèque agendi, eſſe *verbum Dei*, quatenus à Spiritu S. ſubinde ad proferendum fructum excitatur. Sed & BAPTISMUS *lavacrum renovationis Spiritûs Sancti eſt* Tit. III, 5. eò quòd, quantumvis in infantiâ collatus, dum obverſatur animo, morali quadam virtute fidem obſignat, languentemque erigit. Confirmat quoque eam, ſed alio modo, EUCHARISTIA, mediâ tum *exhibitione corporis & ſanguinis Domini* (de quibus ipſe ait Joh. VI, 55. *Caro mea verè eſt cibus & ſanguis meus verè eſt potus*) tùm *annunciatione mortis ejus* I. Cor. XI, 26.

55. Finis denique ſicut ex parte Dei eſt *gloria ipſius* Matth. V, 16. Eph. I, 4, 6, 12. I. Petr. II, 12. Ita ex parte noſtri proximè ſunt *bona opera* (gerunt ſcilicet ſe pro fine ratione intentionis, cùm in executione ſint effectus) Rom. VI, 2, 6, & ſeqq. Eph. II, 10 Cap. IV, 22. ſeqq. Cap. V, 8. Gal. V, 22. Col. II, 20. Cap. III, 9. & ſeqq. Ultimò eſt *vita æterna* Rom. VI, 22. Col. III, 23. 24. I. Tim. VI, 18, 19. Hebr. X, 36.

F I N I S.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-515 4° 2094